SPECIMEN LITTERARIUM.

SPECIMEN LITTERARIUM

CONTINENS

ADNOTATIONES CRITICAS IN SATURAS D. IUNII IUVENALIS,

QUOD

ADNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI HENRICI CORNELII CAROLI VAN DER WIJCK,

Litt. hum. Doct., et in fac. litt. Prof. ord.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

WOLTER DE JONGE,

ex pago Veendam, Groninganus.

DIE XVI M. JUNII MDCCCLXXIX, HORA II.

GRONINGAE, APUD J. B. WOLTERS.

1879

PARENTUM CARISSIMORUM

NEC NON

PATRUORUM OPTIMORUM

B. H. ENGELSMAN, G. H. LODEWIJKS

PIAE MEMORIAE

SACRUM,

Stoomdrukkerij van J. B. Wolters.

Mancinelli praefationem suam in Iuvenalis saturici poetae commentarios sic incipit: „Edidere hactenus commentationes in Iuvenalem praesul dignissime viri clarissimi quattuor: Sabinus, Calderinus, Merula, Georgius Valla. Quintus igitur ipse accedam..... Ego vero (quanquam minime vitiosum est, si quid in re infinita omiseris) nihil fere intactum, nihil implicitum, nodosum nihil reliqui: ita subiecta, explicita, enodata passim sunt mihi omnia. Poterunt ergo iamiam quicunque Iuvenalis satiras adolescentibus facillime interpretari. Non enim carminum sensus, non dictionum ordo, non etiam auctorum testimonia locis suis desiderantur. Textum quoque mendosum prius emendatissimum habent et punctis suis notatum; id namque potissimum debet esse interpreti."

Quae igitur vixdum renatis litteris Mancinellum confidentius spopondisse intellegimus, ea Brittannicus, Pithoeus, Rigaltius, Gangraeus et recentiores Rupertus, Weberi, Heinrichius, Madvigius, Hermannus, Jahnius, alii haud pauci pro virili parte praestare studuerunt, eandem vel parum diversam interpretandi et emendandi rationem secuti.

Ecce autem ante hos quatuordecim annos exstitit vir doctissimus, Ribbeckium dico, qui trita semita spreta et relicta novas tramites aperire destinaret. Ribbeckius igitur, mira ingenii subtilitate adiutus, plurimis locis difficultatem aliquam inesse aut labem animadvertit; sed idem mox nimia quadam sagacitate ultra fines divagatus infima summis miscuit, in re critica autem, subtili illo philologorum scalpro abiecto, maiora ausus, ad atrociorem medicinam se transtulit „structor chironomon volanti cultello" poetam „secans", vel potius vulnera quae immedicabilia duceret ense fulmineo recidens, at.... sinceras simul partes haud raro auferens.

Mihi specimen litterarium scribenti neuter presso gradu sequendus esse

—

videbatur: neque Mancinello credendum affirmanti omnia iam sese recte habere, neque Ribbeckio nimis multa spernenti et mutanti. Ceterum commentarium perpetuum, qui omnes adiret difficultates, scribere in animo non erat, sed si quae in contextu, sicuti a codicibus nobis traditus est, minus recta videbantur, quibus tractandis vires meae non impares essent, de iis disputavi, nec non opusculo meo inserui ea, quae ab aliis melius peiusve demonstrata erant, illa laudans novisque argumentis quam maxime fulciens, haec reprehendens pravitatemque quam maxime detegens.

Utinam hae studiorum primitiae a te, Lector! benevole accipiantur!

Dulci adhuc mihi fungendum est officio. Quanquam aliquot anni iam praeteriere, ex quo vobis uti praeceptoribus mihi contigit, viri clarissimi et doctissimi Hecker, Moltzer et Van der Wijck! memori tamen mente illa tempora recolo, nec unquam obliviscar quantum et magnae vestrae eruditioni et singulari vestrae benevolentiae debeam. Vestrorum in me meritorum memoria nunquam premetur oblivione!

Neque te non reminisci, vir clarissime et eruditissime Francken! aut fas est aut gratus me sinit animus. Tu his in litteris praecipuus mihi studiorum dux fuisti et auctor, tu in luce incerta mihi erranti facem praetulisti, tu benevolentia prosequi nunquam destitisti. Pro hisce omnibus gratias tibi agentem me non veteri instituto paruisse sed animo tibi devincto indulsisse persuasum habeto.

Et tu mihi compellandus es, vir clarissime et doctissime Baehrens, Promotor aestumatissime! Doleo quidem quod tuis lectionibus interesse mihi non licuit; verumtamen multum omnino me debere tuae comitati et humanitati, imprimis utilissima fuisse consilia tua et monita, quae in hace dissertatione conscribenda mihi subministrasti, ut lubens agnosco ita gratus profiteor.

Vos omnes, viri clarissimi! publice accipiatis velim reverentiae meae et obsequii significationem.

SATURA I.

VS. 45—50.

Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premit hic spoliatur
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani
Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis
Iratis: at tu victrix provincia ploras?

Coniunctio, quae est *et* (vs. 47) mihi displicet et vitiosa esse videtur, quod poeta, cum fervet indignatione, sententias per asyndeton ponere solet, quem loquendi usum hoc loco omissum esse eo magis miramur, quod iteratum illud *hic* pro iunctura inservire potest.

Accedit, quod sententia quae priori hac particula adnectitur, gradationem re vera continet; nam in priore tutor ille solus a poeta perstringitur, in altera tamen non solum Marius sed etiam iudices, qui inani sua

damnatione effecerint ut ille spoliis frui posset, dum tota provincia ploraret.

His causis adductus censeo iis codicibus, qui exhibent „at" obtemperandum esse.

Insuper conferendus est Sat. III vs. 246.

Non tamen assentior Häckermanno[1]) cum iisdem codicibus legenti „premat" et dicenti sententiam „et hic — ploras" non pendere a coniunctione „cum" et conferri iubenti versum huius saturae 69. Nam ibi (vs. 69 dico) nova incipit sententia, nostro autem loco duae sententiae particula quae est „at", vel, si mavis, „et", atque insuper iterato adverbio „hic" ita arcte cohaerent ut divelli non possint et necessario ab eadem coniunctione pendeant cum indicativo iuncta.

Non magis audias Rupertium, ad vs. 47 conicientem „plorantis" pro „prostantis" quod ferri nullo modo potest propter provinciam mox plorantem.

VS. 63—68.

Nonne libet medio ceras implere capaces
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur,
hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
et multum referens de Maecenate supino
signator falso, qui se lautum atque beatum
exiguis tabulis et gemma fecerat uda?

---

[1]) Vide Häckerm. der Pith. Cod. pag. 3.

„Falso" (vs. 67) secundum regulas grammaticae nullo modo explicari potest, sive habetur adverbium sive dativum sive ablativum ut sit pro „in falso", quod voluit Weberus iure ea de re reprehensus a Madvigio [1]). Quoquo te vertis, difficultates te premunt.

Neque Rupertius est audiendus „falso" divellens a „signator" et coniungens cum sententia relativa, quod ita vis verborum quae sunt „exiguis tabellis" plane tollitur ut recte monuit Weidnerus [2]).

Ipse Madvigius legendum putavit „signato falso", quod salva viri clarissimi et doctissimi reverentia defendere non ausim quia intolerabilis inde oritur tautologia.

Equidem mendum puto iacere in versus superioris ultima voce quae est „supino." Genuinum vocabulum cuius litterarum ductus fuerint obscuriores, inde iniuria relatum ad „Maecenate", fuisse mihi videtur „sigillo." Maecenas ita quidem nudatur illo epitheto, sed puto eum non adeo fuisse cupidum eius ut non grato animo se eo privari passurus fuerit. Insuper non opus est ut talis notio addatur. Nam ex iis quae poeta iam dixit de nostro falsario satis superque apparet illum multum referre de Maecenate viro luxuriei dedito non de „viro ubi res vigiliam exigeret, sane exsomni" [3]). Cf. Mart. X 73. Praeterea eius luxuria notissima erat.

---

[1]) Madv. Opus. Acad. I pag. 40.
[2]) Weidn. Iuv. Satirae pag. 39.
[3]) Vell. Pat. II Cap. 88.

Habemus igitur: „sigillo signator falso", ita ut primum ablativis qualitatis homo universe notetur, deinde singillatim per sententiam relativam. Similis epexegesis sive explicatio inest Sat. VI 252: „quem praestare potest mulier galeata pudorem, quae fugit a sexu, vires amat?" Etiam Sat. III 90, XI 76 et XI 117. Forcellini sub voce hoc habet: „sigillum dicitur de imagine, quae anulo signatorio in cera aliave materia imprimitur" duobus allatis locis: Hor. Ep. I 203 et Cic. Acad. Quaest. II Cap. 26, ubi haec legimus: „quid si in eiusdemmodi cera centum sigilla hoc anulo impressero?"

Quod volo, accurate iam ab Heinrichio [2]) descriptum est: „Bei falso ist signo zu suppliren aus dem vorhergehenden signator. Zu einem gültigen Testamente gehören die signacula testium in Wachs abgedrückt. Das ächte Testament wird unterschlagen und ein anderes mit falschen Siegeln untergeschoben. Cic. pro Cluent. Cap. 14: „testamentum in alias tabulas transscriptum signis adulterinis obsignavit."

Similis corruptela irrepsit in vs. 107 Sat. VI:

Praeterea multa in facie deformia, sicut
attritus galea sqq.

Hic ablativus (galea) crux est interpretum. Heinrichius affert ille quidem locos, ubi dativus iungitur cum substantivo verbali, quod dicitur, sed locos, in quibus

---

[2]) Heinr. Iuv. Sat. vol. II pag. 61.

ablativus ita additus inveniretur afferre non potuit. Si „attritus" esset substantivum poeta scripsisset „galeae."

In voce otiosa, quae est „sicut", (cf. XII 43 eqs.) latet substantivum ad quod referendus est „attritus", sive est „vultus", quod coniecit Scholtius sive „cirrus" ut vult Ribbeckius.

VS. 69—78.

Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
porrectura viro miscet sitiente rubetam,
instituitque rudes melior Locusta propinguas
per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
si vis esse aliquid; probitas laudatur et alget,
criminibus debent hortos praetoria mensas
argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
quem sponsae turpes et praetextatus adulter?

Laudo Ribbeckium[1]) vs. 73—76 transponentem et collocantem post vs. 78.

Praeter causas, quas vir sagacissimus ipse ad hoc probandum attulit, habeo quae me impellant ut pedibus eam in eius sententiam.

Dum poeta vs. 22—80 exponit, quibus adductus causis ad saturam scribendam descenderit, semper, ubi

[1]) Der Echte und der Unechte Iuvenal. pag. 187.

nova addit argumenta, facili utitur transitu, adnectens particula, quae plerumque est coniunctio „cum." Quem usum quum sequitur vs. 30: „difficile est saturam non scribere, nam quis iniquae tam patiens urbis"; vs. 37: „cum te summoveant qui testamenta merentur noctibus"; vs. 52: „haec ego non agitem? Sed quid magis? Heracleas?" et vs. 58: „cum fas esse putet curam sperare cohortis", — vs. 69 abrupte nulla omnino iunctura addita transit ad mulierem veneficam, quae praeterea èt atrocitate facinoris èt longe diversa sceleris natura male coniungitur cum falsario, melius cum „nurus corruptor avarae" reliquisque.

Bis autem in his versibus (22—80) poeta impetum non plane ille quidem sistit sed tamen paululum a via deflectit ut hostem saucium vulneribus conficiat. Quo fit ut cursus inhibitus maiore nisu repetendus sit. Hoc habes in vers. 42—44. Iunctura omissa vs. 45 poeta rursus sic incipit: „Quid referam." Idem habes in versibus iam transpositis 73—76. Iunctura omissa vs. 69 poeta rursus sic incipit: „Occurrit matrona" sqq.

Mihi persuaderi non passus sum iis, quibus Teuffelius [1]) hanc transpositionem impugnat: „Die vier Verse „aude aliquid — caprum" sind nunmehr deplacirt, da sie anstatt, wie ihr Inhalt voraussetzt, nach der Erwähnung eines besonders schweren Verbrechens zu stehen, jetzt auf eine Testamentfälschung folgen."

Putat igitur crimen falsi levius esse quam quod

---

[1]) Teuffel. Rhein. Mus. XX. 154.

poena deportationis sequatur. Sed falli videtur vir doctissimus. Legimus enim Digest. Lib. XXXXVIII sub. Tit. X: „qui testamentum amoverit celaverit, eripuerit deleverit, interleverit subiecerit, resignaverit: quive testamentum falsum scripserit signaverit, recitaverit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit: legis Corneliae (nempe de falsis) poena damnatur." Quae autem est illa poena? Ibidem paulo ante legitur: „Poena falsi vel quasi falsi est *deportatio*."

VS. 95—96.

Nunc sportula primo
limine parva sedet, turbae rapienda togatae.

Verbum quod est „sedet" ab Heinrichio idem dicitur esse quod „posita est." Huius vero significationis nullum consimile exemplum afferre potest. Nam quem locum ex Hor. Sat. II 2. 73 dicit similem, is re vera diversus est. De quo vide Orell.[1]). Alii laudant Sat. II 120: „cena ingens sedet", sed cum ibi „ingens" cena dicatur non cena „opulenta" vel tale quid, cogitandum est de convivarum sedentium multitudine. Rectius Mayor[2]), memorans ex Ovid. Trist. II 481: „parva sedet ternis instructa tabella lapillis", sed cum sportula intellegenda sit de certa pecuniae summa (cf. Sat.

1) Orell. Hor. vol. II pag. 146.

2) Mayor, Thirteen Satires of Iuvenal. Vol. I, pag. 73 sqq.

X vs. 46), equidem, sicut iam alii, puto nullo modo ea de re dici posse „sedere" et legendum esse „sed et" ut haec sit sententia: nunc sportula est primo limine parva sed (nihilominus) rapienda (quae rapietur) a magna etiam hominum togatorum multitudine. Indignitas inde oritur, quod sportula exigua est et tantus hominum numerus eam appetunt.

VS. 115 et 116.

Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

Nescio an hi versus eiciendi sint. Non videtur menti congruere poetae ad res describendas festinanti, quae indignationem moveant, ea addere quae unusquisque Romae norat atque videbat.

Verba quae sunt „ut colitur" sapiunt interpolatorem, qui exoptatam arripuit occasionem scientiam suam exhibendi quam ex Cic. Nat. Deor. II 61 hauserit.

Accedit quod coniunctio quae est „atque" iure movet suspiciones, quia ceteroquin poeta singulas voces enumerans inter omnes coniunctionem ponit aut omnes per asyndeton effert (confer Kiaerum [1]), et quamquam exstat locus quo duo membra priora per coniunctionem iunguntur (Sat. X 35), tamen ibi haec membra arctius quam reliqua inter se cohaerent quod idem de nostro

---

[1]) Kiaer, de Sermone D. Iun. Iuvenalis, pag. 72 sqq.

loco dici non potest. Querelis facile absisterem si forte poeta scripsisset „honor et virtus", quod notum est hos deos saepissime coniungi, quin iis a Marcello unum templum in votis promissum esse [1]). Tum vs. 116 vix dilucidus est, neque intellegitur, quare Concordia nido ciconiarum ornetur, qui potius Pietati debeatur. Si versus retinendi sunt, pro „atque" legerim „cana" ex Vergilio sumptum a quo plura poeta deprompsit: confer Sat. V 101, 125, 138.

VS. 137—138.

Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
antiquis una comedunt patrimonia mensa.

Hi versus valde mihi displicent, imprimis vs. 137. Enumeratio virtutum illorum orbium fastidium movet. Quid refert qualibus de orbibus patrimonia comedantur? Quid, quod tam antiqui dicuntur? Nisi forte hoc voluit poeta, illos orbes veterum temporum testes indignari luxuriam posteritatis!! Quod absurdum est. Ante me eiecit eos Ribbeckius [2]), nec non Scholtius [3]).

VS. 160—161.

Cum veniet contra, digito compesce labellum:
accusator erit, qui verbum dixerit hic est.

[1]) Conferatur Preller, Röm. Myth., pag. 613.
[2]) Der Echte und der Unechte Iuvenal., p. 116.
[3]) Scholte, Dissertatio Litteraria, p. 6.

Heinrichius[1]) aliique vs. 161 ita interpretantur ut statuant ante pronomen relativum omissum esse genitivum demonstrativi, sed ut exstent loci, in quibus hoc factum sit, tamen non crediderim in hoc loco poetam indulsisse ellipsi, qua sermonis perspicuitas mire turbaretur, praesertim cum tam leni mutatione omne ambiguum prorsus tollere posset scribendo: „Cum veniet contra digito compesce labellum: accusator erit si verbum dixeris hic est", ut Teuffelius recte monuit. Rupertius verba „hic est" tribuit Tigellino, sed manifesto fallitur quoniam ex praecedentibus „digito compesce labellum" aperte elucet illa verba esse interlocutoris. Fieri tamen potest ut significatio verborum „accusator erit" translata sit.

SATURA II.

VS. 109.

Maesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.

Verba „Actiaca carina" non cum Webero[2]) habenda sunt abl. causae sed locativi = „in Actiaca carina", nam poeta inducit reginas ut Othonem bellum gerentes, quia, ut comparatio recte se possit habere, in

---

[1]) Heinr., Iuv. Sat. Vol. II, pag. 85.

[2]) W. E Weber, Die Satiren des Iuvenalis, pag. 17.

eadem conditione versentur necesse est. Idcirco cum Heinrichio [1]) etiam vox „maesta" mutanda est.

VS. 130.

Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas etc.

Heinrichius [2]) statuit vocem „terram" in mendo iacere negans „terram cuspide pulsare" esse irascentis: Agamemnonem in Iliade non ira commotum sed indignatione ferventem sceptrum abiecisse *qua re indicaret nolle amplius se regem esse si talia fierent.* Ut notum est autem, non Agamemnon sceptrum in terram impegit, verum Achilles.

Quam igitur affert causam quae eum impelleret, ea ficta est. Quod libentius dabis, si memineris idem in Odyssea II 80 de Telemacho dici. Est igitur mera significatio sive irae sive indignationis, neque est quod negemus hoc apte dici in hoc loco de Marte sive irato sive indignabundo. Cum et altera difficultas, qua locum premi affirmat Heinrichius, sublata sit (conf. Weidnerum p. 62) tuemur vulgarem lectionem.

VS. 167—168.

Nam si mora longior urbem
indulsit pueris, non unquam derit amator etc.

---

[1]) Heinr., Iuv. Sat. Vol. II, pag. 109 sqq.
[2]) In eodem libro, pag. 111 sqq.

In his versibus me offendit, quod in secundaria periodi parte perfectum tempus invenitur etsi in primaria futurum positum est, cui loquendi modo poeta non nisi in hoc loco indulsit. Cf. Kiaerum pag. 202.

Praeterea aliquid duri mihi inesse videtur locutioni „urbem indulgere pueris" pro „urbis illecebras pueris concedere." Nescio an legendum sit: „nam si mora longior *ansam indiderit* vel *obtulerit* pueris", ut haec sit sententia: nam si mora longior occasionem peccandi pueris praebuerit, non unquam derit amator, patrios mores exuent, prorsus corrumpentur.

SATURA III.

VS. 37—40.

Inde reversi
conducunt foricas; et cur non omnia? cum sint
quales ex humili magna ad fastigia rerum
extollit, quotiens voluit Fortuna iocari.

Verba otiosa „et cur non omnia?" iustas corruptelae suspiciones movent, neque placet Weidneri [1]) coniectura legentis „omina", quoniam illi homines negotiosi

---

[1]) Weidner. Sat. Iuv. pag. 69.

facile, opinor, aliis relinquent omina et spes, dummodo sibi habeant lucra et res. Leniora remedia cum successu careant, acriore opus esse videtur medela cui tamen imparem me esse ingenue fateor. Verumtamen aliquid periclitari sustinebo memor nobilis illius „in magnis voluisse" et legam:

„Conducunt foricas et cur non olfaciant hi
quales etc.",

ut sit sententia: hi homines nati in sordibus, sordidissimis in negotiis quidni versentur? Quidni nunc ad summa rerum fastigia adscendant, nunc ad sordidissima relabantur, cum fortuna iocari tantum voluerit?

De verbo „olfacio" confer Sat. VII 225.

De iunctura „hi — quales" cf. Sat. XV 65.

VS. 90—91.

Miratur vocem angustam, qua deterius nec
ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Maxima sententiae vis inest voci „miratur", quod probat positus huius verbi in initio versus. Vox „angustam" contra sine ulla vi posita est quod eo efficitur quod sequitur substantivum non praecedit, cuius loquendi usus apud Iuvenalem longam exemplorum seriem possem proferre. Relativa, quae sequitur, sententia explicationem continet huius vocis, quasi scripsisset

poeta: vocem ita angustam ut galli cantus non sit deterior. Ergo Scholtii[1]) coniectura non opus est, legentis „angustam."

VS. 125.

Nusquam minor est iactura clientis.

Weidnerus[2]) contendit his verbis inesse brachylogiam ut sit: nusquam i. e. nulla in re minor est iactura quam iactura clientis. Non credo. Poeta simpliciter hoc dicit: iactura clientis nusquam minoris ducitur quam Romae. Umbricius enim Cumas migraturus hoc agit ut demonstret Romae pauperibus locum non esse.

VS. 131—133.

Divitis hic servi cludit latus ingenuorum
filius; alter enim quantum in legione tribuni
accipiunt donat Calvinae vel Catienae, etc.

Hermannum[3]) secutus Weidnerus[4]) vocem „alter" male intellegit de novo adulescentium genere, ellipsin verbis inesse statuens ut sit: de illo enim loqui supersedeo qui sqq., nam „alter" est idem ille dives servus. Itaque particula „enim" causam continet sententiae

---

[1]) Diss. Litt. pag 21.
[2]) Sat. Iuv. pag. 77.
[3]) Specilegium pag. 24.
[4]) Sat. Iuv. pag. 77.

praecedentis: ingenuorum filius colit servum divitem nulla alia ductus causa nisi quod ille praedives est. Hoc ita esse nemo non videt. Omnis enim sententiarum cohaerentia de adulescentibus prodigis et dissolutis cogitare nos vetat. Poeta exempla profert quibus perspicuum reddat nobiles ingenuosque aeque ac pauperes clientesque officia praestare divitibus et beatis.

VS. 199—201.

tabulata tibi iam tertia fumant:
tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,
ultimus ardebit quem tegula sola tuetur etc.

Scholtius[1]) vs. 200 eiecit statuens ratiocinationem esse frigidam, particulam quae est „nam" nullam afferre causam et sententiam conditionalem non convenire. At vide quam efficax sit illa apostrophe: „tu nescis!" Quam acerba illa sententia causalis! Quam ad terrorem lectori incutiendum apta! Hoc enim vult poeta: tu nescis, nam si gradibus trepidatur ab imis i. e. si imae aedium partes flammis corripiuntur, tu ultimus ardebis; ac si dixisset: tu nescis, nam incendium nondum at te pervenit, te nondum e somno excitare potuit — neque homines te curant.

VS. 218.

Phaecasianorum vetera ornamenta deorum.

---

[1]) l. l. pag. 27.

Lectio „haec Asianorum", quam multi et boni codices habent, falsa esse videtur, quod in principio versuum, si ter quaterve idem vocabulum positum est, Iuvenalis nunquam, quod scio, hoc verbum mutat. Mutatione hoc loco eo minus opus est quod, uti iam docuit Weidnerus [1]) pronomen „hic" promiscue et de viris et de feminis dicitur; ut aperte elucet ex Sat. VI, 479 ubi manifesto et de feminis sermo est.

VS. 278—282.

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
ergo non aliter poterit dormire? quibusdam
somnum rixa facit.

Versum 281 ab Heineckio et post eum a plurimis deletum coniectura restituere nuper conatus est Gustavus Hoffmannus [2]) legere iubens:

ergo non aliter poterit dormire, priusquam etc.

Qua coniectura melior etsi videtur factus esse locus, eam falsam tamen esse credo neque versui salutem posse afferre. Poeta hoc dicit: ebrius, qui nullum forte cecidit, patitur noctem insomnem, nunc

---

[1]) l. l. pag. 84.
[2]) In Ephem.: Neue Jahrbücher für Phil. und Paed. Vol. 117. Pars 5, p. 78.

cubat in faciem mox deinde supinus. Ergo! — Secundum logices praecepta debebat sequi: rixas quaeret et caedet. Quid autem sequitur? „ergo non poterit dormire priusquam somnum rixa facit." Miremur poetae (interpolatoris) acumen dialecticum et disserendi elegantiam sic ratiocinantis: petulans, qui non cecidit, patitur noctem insomnem; ergo: non poterit dormire priusquam ceciderit. Vel: qui noctem insomnem patitur non potest dormire. Forsitan dicas: at non legitur „ceciderit" sed „priusquam somnum rixa facit." Tum habes: petulans, qui non cecidit, non potest dormire; ergo non poterit dormire priusquam rixabitur. Itaque novum et inexspectatum hoc disce: qui caedere vult debet rixari.

Accedit quod „aliter" plane abundat. Nam ad „dormire" referri non potest, propterea quod „cubare in faciem mox deinde supinus" non est „dormire", ita ut de alia dormiendi ratione sermo esse non possit. Pertinet igitur ad „non poterit." Cf. Lupum [1]). Quid autem? „Aliter" cum idem nunc sit quod „nisi ceciderit" rursus habes hanc sententiam pulcherrimam: ergo non poterit dormire nisi ceciderit priusquam somnum rixa facit! Quae cum ita sint hic versus poeta indignus est habendus.

Quo eiecto vide quam apte vs. 280 excipiatur verbis: „somnum (cum vi in principio positum) rixa facit."

[1]) Lupus, Vindiciae Iuvenalianae, p. 30.

SATURA IIII.

VS. 50—56.

Non dubitaturi fugitivum dicere piscem
depastumque diu vivaria Caesaris, inde
elapsum veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
quidquid conspicuum pulchrumque est aequore toto
res fisci est, ubicumque natat: donabitur ergo
ne pereat.

Recte monet Heinrichius[1]) nexum sententiarum non perspicuum esse. Si enim verum est quod vs. 54—56 perhibetur, non opus erat inquisitoribus ut causam fingerent quare piscis elapsus esset ex vivariis imperatoris. Omnia recta sunt parva transpositione facta et signo interrogationis post „Armillato" posito: „Quid, si Palfurio, si credimus Armillato?" Res manifesta est ut verbum non amplius addam.

De locutione „quid si" conferas Sat. VIII 183, X 36; Verg. Aen. IIII 311 et Propert. V 9. 43.

VS. 76—81.

Rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo vilicus urbi,

1) l. l. pag. 178.

(anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque)
interpres legum sanctissimus, omnia quanquam
temporibus diris tractanda putabat inermi
iustitia.

Facio cum Heinrichio[1]) Ribbeckio aliis versum 78 damnantibus. Debilitat enim vim sententiae praecedentis et duram efficit sententiae relativae constructionem. Insuper notio probitatis quae significatur voce „optimus" iam inest verbo quod est „sanctissimus." Tum verba „interpres sanctissimus" apte respondent verbis „inermi iustitia" (animadvertas velim poetam scripsisse „interpretem" non „vindicem" legum) quod etiam probatur verborum positus, nam a poeta verba saepius ita distribuuntur ut membrorum quae sibi respondent alterum prioris versus primum locum teneat, alterum sequentis ultimum. Confer Sat. I 151 sqq.:

unde illa priorum
scribendi quodcumque animo flagrante liberet
simplicitas? Cuius non audeo dicere nomen?

ubi „scribendi" opponitur locutioni „dicere nomen" i. e. nomine dicere, ut docuit Häckermannus[2]). Insuper confer Sat. V 161, VI 97, 53 et 54.

Egregie autem fallitur Ribbeckius[3]) putans particulam „quanquam" esse coniunctionem, non adverbium, quod

---

1) l. l. pag. 184.

2) Häckermann, Prog. 1877, pag. 32.

3) Der Echte etc. pag. 123.

re vera est, ut paullo ante in hac eadem satira vs. 60, quod virum doctum fugisse valde miror. Insuper si coniunctio esset, coniunctivum modum adscisceret. Vide Kiaerum [1]). Comma post „sanctissimus" tollendum est.

SATURA V.

VS. 137—145.

Dominus tamen et domini rex
si vis tu fieri, nullus tibi parvolus aula
luserit Aeneas, nec filia dulcior illo,
iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
sed tua nunc Mygale pariat licet et pueros tres
in gremium patris fundat simul, ipse loquaci
gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
afferri, minimasque nuces assemque rogatum
ad mensam quoties parasitus venerit infans.

Vs. 140 cum Iahnio aliisque delendum esse censeo. Quas ob causas iis assentiar, apparebit, si primum viderimus sequentia, quomodo explicanda sint.

In his enarrandis dissentiunt interpretes. Primum enim verba ita accipi possunt ut Mygale sit uxor pauperis clientis. Huic interpretationi ut favet adverbium

---

1) l. l. pag. 30.

quod est „nunc", ita alia sunt et gravia, quae vehementer obstent. Nam tum habemus sententiam ab indole huius totius saturae prorsus alienam. Poeta enim ubique hoc agit ut demonstret patronum nihil curare clientem, contra contumeliis obruere. Hic autem dicat eum ad clientem ire ad cenam, liberosque eius tam comiter accipere et munusculis donare? Nullo modo.

Quo iure autem Ribbeckius[1]) contendat summum patroni contemptum in eo cerni quod loquaci nido ipse delectetur me nescire fateor.

Altera explicatio est ea, quae iubet Mygalen intellegi de uxore Trebii clientis subito locupletati, ut fecit Io. Brittannicus[2]) qui haec annotavit: „sed quamvis uxor tua pariat nunc, scilicet quum sis locupletatus, non te penitus aspernabitur sed tecum una gaudebit tuis liberis, munuscula iubebit afferri." Haec explicatio valde infringit vim vs. 136 et sequentium. Hoc enim habemus: nummi sunt quos colit, quos vocat fratres; te non respicit sed bonis tuis inhiat; amicitiam tuam non optat, hereditatem expetit; quam spem si eripies — tamen te diliget. Insuper sermocinatio eodem rediret: si quis deus quadringenta tibi donaret, quantus Virronis amicus fieres! quam te coleret, tibi blandiretur: da Trebio, pone ad Trebium! Si autem orbus esses, dominus et domini evaderes rex! Si non esses — tamen te coleret et respiceret,

---

[1]) l. l. pag. 126.

[2]) Iuv. Sat. Henninii pag. 504.

tecum gauderet liberis tuis. Et nonne poeta tum scribere debuit: sed *etiamsi* tua nunc Mygale, vel tale quid?

Porro versu 141 notio pariendi sufficeret, quid de tergeminis illis pueris fieret nescires.

Restat igitur ut confugiamus ad tertiam interpretationem eorum, qui monent Mygalen esse nomen concubinae vel libertinae. Hoc nomen, cuius in prioribus enarrandi modis nulla ratio habita est, id iam satis superque indicat; est enim nomen Graecum, non matronae Romanae, nomen meretricum et pellicum. Cf. Sat. X 238.

Hoc ergo vult poeta: si dives fies, Virro te adulabitur, honore et cultu te prosequetur. Quid, quod summo te obsequio, summaque reverentia te colet, quod dominus eius fieri poteris, modo nullus tibi sit filius genuinus iusto matrimonio genitus? Tua concubina vero (attendas velim ad positum verbi „Mygale" in arsi tertii pedis, unde efficitur ut graviter premendum sit, nec non concedendum, vocem praecedentibus esse oppositam) in hoc rerum statu, cum ipse dives sis uxor autem sit sterilis, pariat licet, quin etiam tres liberos uno partu edat, id non dolebit, imo tecum gaudebit, infantes fovendo et donando tuum favorem benevolentiamque captabit, nulla nimirum alia de causa, quam ut aliquando heres fiat tuorum bonorum.

Posterioribus versibus 141—145 imprimis poeta ostendit Virronem exutum et orbatum esse omni humanitate nulloque animi motu nobiliore tangi, sed pecuniam spectare nil aliud, quippe qui pulcherrimos naturae

humanae sensus mentiatur, amicum decipiat, liberosque eius, dum mulceat, patrimonio orbare studeat.

Hoc si tenemus, Mygalen esse concubinam, statim in oculos incurrit cur interpolator aliquid novi addendum esse putaverit. Desideravit enim verbum quod oppositum esset verbo „Mygale" et versum fabricatus est cuius hic praestantiam possumus mirari. Tamen nihil deest. Nam quod ille voce quae est „uxor" putavit inserendum, iam a poeta dictum erat his verbis: „nullus tibi parvolus aula luserit Aeneas" sqq. Quae cum repetita sint ex Verg. Aen. IIII 327, ubi Dido regina de filio adulterino certe non cogitat (quod ut per se manifestum est, ita e vss. 316 et 339 abunde patet) intellegenda sunt de filio iusto matrimonio nato. Tum nomen „Aeneas" documento est. Itaque inter se opposita sunt verba „luserit Aeneas", et „sed tua nunc Mygale", quod etiam probatur eo poetae loquendi usu ut notiones inter se oppositas vulgo eadem versus sede ponat, cuius usus multa exempla afferri possunt. Cf. Kiaerum pag. 5.

Tum sententia, quae est generalis, latissime tamen patere non potest, nam de uxore pauperis dici nequit.

Accedit quod notiones, quae insunt verbis „iucundum" et „carum" et „amicum" leviores sunt. Divitiae Trebium iam reddunt iucundum et carum: post illa „dominus et domini rex si vis tu fieri" exspectes alia graviora. Vocem „amicum" admodum frigere etiam concedit Lupus[1]) ceteroquin versum defendens et Meinertzius[2]).

---

[1]) Lupus. Vind. Iuvenal. pag. 31.

[2]) Meinertz, Zur Kritik und Erkl. der Sat. des Iuv., pag. 31.

Postremos versus (143—45) emendandos sibi sumpsit Scholtius [1]) statuens in mendo iacere vocabulum „rogatum" quod infans loqui, rogare non possit; tum „assemque" utpote donum miserabile; deinde „minimas nuces" ut parum congruentes cum „viridi thorace"; tandem corruptum esse „mensam" et pro iis legere proponens:

Viridem thoraca iubebit
afferri minimosque equulos axemque rotatum
ac thensam, quotiens parasitus venerit infans.

Pro „ad mensam", quae vulgaris est lectio, legit „ac", quam lectionem Iahnius ex Cod. Pith. praetulerit, non reputans eundem codicem perperam exhibere „ac" pro „ad" in Sat. XIII vs. 107.

His coniecturis ingeniosis id vel maxime obstat quod nullo modo probari potest, qui fieri potuerit ut ex illa lectione haec, quam habemus, orta sit.

Quod porro dicit infantem non posse rogare quia non loquatur id eo refutatur quod rogare aliquid possumus et non loquendo. Tum infantem iam ingredientem voces aliquas emittere posse verisimile est. Cf. Sen. Herc. Fur. Act. III vs. 854.

Mirandum est eum aspernatum esse „minimas nuces", nam sunt deliciae puerorum teste Marquardto [2]) qui copiose ea de re disputavit, et „nucibus ludere" tam

---

[1]) l. l. pag. 45 sqq.

[2]) Becker—Marquardt. Vol. V pars 2, pag. 418—420.

frequens erat ut „nuces relinquere" idem esset quod „e pueris excedere." Ergo ubi sermo est de munusculis puero dandis, si nuces absint, desideremus.

Ovidius, Martialis, Persius (Sat. I vs. 10) de illo ludo mentionem faciunt.

De „nucibus asseque rogato" conferendus est locus qui invenitur apud Senecam Const. Sap. 12 § 2 (allatus a Iohn Mayor in libro qui inscribitur „Thirteen Satires of Iuvenal"): „non ideo quidquam inter illos pueros que interesse quis dixerit, quod illis talorum nucumque et aeris minuti avaritia est, his auri argentique."

Quod dicit Scholtius de defectu omni symmetriae sive congruentiae mihi levius esse videtur.

VS. 147—148.

Boletus domino; sed quales Claudius edit
ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

Graviter fallitur Heinrichius sic enarrans: „utinam talem ederet qualem Claudius edisset, cum moreretur!" Talem sensum verbis inesse prorsus negandum est. Hoc si voluisset poeta, certe apertius significasset. Facio cum Weidnero[1]) hunc locum sic explicante: „natürlich feine und ungefährliche, wie sie Claudius sonst zu essen pflegte ehe er am letzten starb!" Ironia tamen verbis non inest, ut W. contendit.

[1]) l. l., pag. 114.

SATURA VI.

VS. 11—13.

Quippe aliter tunc orbe novo coeloque recenti
vivebant homines, qui rupto robore nati
compositique luto nullos habuere parentes.

Scholtius[1]) haec adnotavit: „in his verbis (rupto robore nati) aliquod vitium latere puto; non quod non possint aliquatenus explicari, sed quia miror quod hoc loco nulla mentio fit illius omnium nobilissimi mythi ex quo homines ex saxo nati sint. Dubito igitur utrum scribendum sit: *rupe et robore* an *rupe aut robore.*"

Tres laudat locos, ubi et de saxo et de robore homines nati esse dicuntur. Denique auxilium petit a vocibus quae sunt „rupices" et „petrones."

Quanquam est notissimum homines a poetis natos esse dici e saxo et e robore, tamen Scholtii coniectura non probabilis mihi esse videtur.

Alia res esset si probasset has notiones semper coniunctas reperiri. Hoc autem non fecit neque facere potuit. Nam et Vergilius de robore tantum loquitur Aen. VIII vs. 315: „gensque virum truncis et duro robore nata", ubi de eadem gente virorum Saturno rege

---

[1]) l. l. pag. 46.

viventium sermo est de qua nostro loco; nec non Statius Theb. IIII 276: „(Arcades)..... nemorum quas stirpe vigenti fama satos", et 279 sqq.: „quercus laurique ferebant cruda puerperia ac populos umbrosa creavit fraxinus, et feta viridis puer excidit orno."

Deinde vix dubito quin poeta illam materiem „saxum" vocasset non „rupis", ut Cicero fecit in loco a Scholtio ipso laudato: „non enim e saxo sculptus aut e robore dolatus", et Statius Theb. IIII 340: „o saxis nimirum et robore nati!" a quo igitur iidem Arcades modo a robore solo, modo a saxo et robore orti esse dicuntur. Insuper statuae signaque nunquam de rupe, saepius e saxo sculpuntur.

Haec autem verba „rupto robore nati" *aliquatenus* posse explicari non intellego cur S. dicat; equidem puto aptissime posse, nam „rumpere" de hac re verbum est proprium. Conferas Pers. Sat. I vs. 24: „(nisi) quae semel intus innata est rupto iecore exierit caprificus"; Verg. Georg. I 472: „ undantem ruptis fornacibus Aetnam." Quod ad vocabulum „rupices" attinet, quod apud posteriores demum scriptores invenitur, id potius dici videtur de similitudine naturae quadam, nam homines denotat duros vel stupidos, obstinatos. Cf. Ovid. Metam. VI 33, Trist. III 11 vs. 8.

Fortasse hi versus postea demum inserti sunt, nam hoc nonne mirum tibi videtur poetam, cum in praecedentibus dixerit, homines priscis temporibus Saturno rege cum pecore communes habitasse domos, glandes glutisse aliasque cupedias, affirmare, aliter tunc vixisse

homines? praesertim cum iam ante ἐν παρέργῳ suum aevum tam acerbe perstrinxerit? Nam quae legimus vs. 7: „haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius turbavit nitidos exstinctus passer ocellus", quid his acerbius? quid decentius?

VS. 50—51.

Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
quarum non timeat pater oscula.

Hi versus per asyndeton explicandi sunt: adeo paucae dignae sunt Cereris vittas contingere et (paucae sunt) quarum non timeat pater oscula. Est multo gravius quam illud: „paucae ita dignae sunt vittas contingere ut pater non timeat oscula", sicut interpretati sunt W. E. Weberus et Teuffelius. Insuper non quaeritur num plus minusve dignae sint, sed quaeritur utrum dignae sint an non sint.

VS. 56—58.

Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
quis tamen affirmat, nil actum in montibus etc.

Non audiendi sunt ii, qui, ut Weidnerus[1]), haec verba sic vertunt: „si eadem illa aeque castam et innocentem se praebet vel Gabiis vel Fidenis, libens ego cedo

---

[1]) l. l. pag. 120.

paterno quo nihil mihi carius agro." Cum vs. 55 eadem fere vocabula „rure paterno" occurrant, haec, si de altero agello intellegenda essent, frigerent. Tum poeta certe dixisset: „et agello meo cedo paterno", ut lectorem admoneret, de alio atque ante agello sermonem esse. Sensit hoc Weidnerus, qui vertit: „libens ego cedo agello." Accedit quod particula „tamen" vs. 58 commode explicari non potest, potius requiritur „insuper." Quae cum ita sint, „agellus paternus" idem est, quod ante dicitur „rus paternum."

Versus per ellipsin explicandus est, ut volunt Heinrichius [1]) et Kiaerus [2]) sic enarrantes: „concedo agello paterno nil actum esse, quis tamen adfirmat sqq. Animadvertendum est particulam „et" hoc loco ut saepius cum singulari vi positam esse, ut fere idem valeat quod „et insuper." Velim tamen pro „cedo" legere „credo." Quanquam est notum verbum „cedere" eodem sensu quo „concedere" dici posse (de qua significatione vide Bentleium ad. Hor. epist. II 1. 67, cui facile concedes ibi „cedo" esse legendum), tamen hoc loco „credere" mihi visum est praestare, et quod lepidius est dicere: „concedo tibi nil actum esse" tanquam poeta ipse conscius et praesens adfuisset, et quod poeta id iam concessit his verbis „ut vixit in agro", et quod verbum quod est „credo" sententiae magis consentaneum est. Habemus igitur: „et agello paterno nil actum est,

---

1) l. l. pag. 226.
2) l. l. p. 125.

credo, nil miror, (Belgice: dat geloof ik gaarne) quis tamen adfirmat nil actum esse in montibus." Post „Fidenis" graviore signo, post „paterno" leviore incidendum est.

VS. 97.

Fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent.

Scholtius[1]) versum eiecit. Ordinem vero sententiarum si perspexeris, ei non assentieris. Poeta postquam narravit Eppiam nuptam senatori per omnia maris pericula constanti pectore comitatam esse ludium, inde a verso 94 ad universum genus femineum describendum transit sententiis ordine inter se oppositis: „si iusta pericli ratio est et honesta, timent: fortem animum praestant rebus quas turpiter audent; si iubeat coniux, durum est conscendere navem: quae moechum sequitur, stomacho valet; illa maritum convomit: haec inter nautas et prandet et errat." Tum redit ad Eppiam.

VS. 136—139.

Optima sed quare Censennia teste marito?
bis quingena dedit; tanto vocat ille pudicam;
nec pharetris Veneris macer est aut lampade fervet:
inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.

---

[1]) l. l. pag 48.

„Inde" (vs. 139) respicere videtur ad sequentia quae sunt „a dote", non ad priora „bis quingena dedit" ut sit sensus: „inde, a dote dico, ardent faces, veniunt sagittae.

Etiam in Sat. VI 560 et XV 36 „inde" sequentibus verbis excipitur, ut passim fit apud omnes scriptores. Itaque non est quod facias cum Scholtio[1]) versum 138 ea de causa delente, quod sequentem divellat a versu 137, quocum arctissime cohaereat. Vs. 138 vel ideo servari debet, quod tam arcte cum sequenti cohaeret, ut si alterum deleas, et alterum eicias necesse sit, nam vs. 139 altero omisso claudicat, quoniam de affectione coniugali proprie sermo non est, verum poeta de pudicitia loquitur.

Quod Scholtius addit: „pharetris macerari" dici non posse, „igne macerari" posse, mihi iocari visus est. Possis dicere eodem iure, laborantes homines igne non „macerari' sed „deflagrare." Talia mihi videntur poetae esse satirici.

De pharetra et lampade Veneris conferendus locus, qui invenitur apud Lucretium IIII vs. 1278: „nec divinitus interdum Venerisque sagittis deteriore fit ut forma muliercula ametur"; et alter apud Propertium V 3 vs. 49 sq.: „omnis amor magnus sed aperto in coniuge maior: hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem."

Praeterea „Venus" potest dici pro „amor" ut saepius apud Horatium: cf. Sat. I 4, 113.

---

[1]) l. l. pag. 50.

VS. 172—173.

„Parce, precor, Paean, et tu, dea, pone sagittas,
nil pueri faciunt, ipsam configite matrem."

Codices habent: „et tu depone sagittas." Hanc pulcherrimam Graevii coniecturam aspernantur Heinrichius, Kiaerus nec non Häckermannus[1]. Hic Heineckium collaudans codicum lectionem tuentem ex eius defensione haec repetivit: „Tu non referendum ad Dianam sed ad Apollinem, qui praecedit. In his et similibus pronomen tu abundat, quod loquendi genus illustrat Bentleius ad Hor. Carm. I 9. 16: „nec dulces amores Sperne puer neque tu choreas." Conf. Sen. Herc. Fur. XII 16 sqq. Apollinem autem dum alloquitur, intellegit etiam Dianam, quae una cum illo opus perfecit. Verg. Aen. VIII 525: „Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti." Sil III 222: „Prodite Calliope." Hom. Il. VII 284: „Ἰδαῖ, Ἕκτορι ταῦτα κελεύετε μυθήσασθαι."" Quam ob rem Häckermannus illam defensionem vocaverit praestantem, non video. Mihi quidem admodum debilis esse videtur. Nam ea, quae ille monet de pronomine abundante quod est „tu", solum probant *posse* hoc pronomen nostro loco referri ad Apollinem, nihil aliud. Deinde loci, quos attulit ut demonstraret poetas nonnumquam unum deum compellare plures significare, a nostro loco prorsus

[1] Der Pithoean Codex. pag. 26 sqq.

differunt. Quod ita perspicuum est, ut eadem nuper a Kiaero [1]) allata esse iure mireris. Aliud enim est si dicas: „Vos, Calliope, adspirate", aliud: „tu, Paean, depone sagittas, matrem configite ipsam." Idem esset si poeta scripsisset: „parcite, Paean, et deponite sagittas."

Cum Graevio igitur statuimus poetam illo pronomine nominatim se convertisse ad Dianam, sicut Verg. Aen. VII 37 fecit ubi Erato alloquitur: „tu vatem, tu dea, mone."

VS. 175—177.

Extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
dum sibi nobilior Latonae gente videtur
atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.

Scholtius [2]) reprehendens Heinrichium, qui scripsit gentem idem esse hoc loco ac prolem, quod haec verba prorsus differant, putavit textum esse corruptum et legendum: „dum sibi nobilior Latona gente videtur", ut loci sententia haec esset: dum sibi videtur gente i. e. origine nobilior quam Latona et fecundior quam scrofa.

Heinrichium falsum esse et talem sensum versibus inesse libenter ei concedo, ita tamen ut coniectura locus non egere mihi videatur. Coniectura enim omissa nonne verbis eadem inest sententia? Niobe sibi nobilior videtur quam gens Latonae i. e. gens sua sibi nobilior

---

[1]) De Serm. Iuv. pag. 196.

[2]) l. l. pag. 52.

videtur quam gens Latonae. Constat enim rem possessam alterius interdum non comparari cum re possessa alterius sed cum hoc altero ipso. Conferas Caes. B. Gall. VI Cap. 22: „ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum *potentissimis* aequari videat"; Cap. 27: „harum est consimilis *capris* figura"; Iuv. Sat. IIII 75: „*dis* aequa potestas", et VI 413: „nec tamen id vitium magis intolerabile quam quae vicinos rapere solet" i. e. „quam ea femina, quae" etc., ubi ratio postulabat: „id vitium non est magis intolerabile quam vitium eius feminae quae sqq." Confer etiam Sat. VIIII 6.

VS. 178—181.

quae tanti gravitas, quae forma, ut se tibi semper
imputet? huius enim rari summique voluptas
nulla boni, quotiens animo corrupta superbo
plus aloes quam mellis habet.

Plurimi interpretes vs. 178 sic explicant: „quae nobilitas, quae forma tanti est tibi, ut aequo animo feras uxorem, quae se i. e. suam nobilitatem sive praestantiam semper tibi imputet, exprobret?" Quos reprehendens Kiaerus [1]) verba sic enarravit: „nulla gravitas neque forma marito tanti est, ut propter eam se tibi imputet i. e. tuam contumaciam atque superbiam ferat."
Addit substantivum „gravitatem" vix, quod vulgo

---

[1]) l. l. pag. 154 sqq.

intellegant, de Corneliae splendore natalium dictum esse, sed de Niobes fertilitate; et fertilitatem atque formam bonum illud esse, quod summum rarumque (vs. 179) vocetur.

Quamvis haec interpretatio admodum blanda sit, tamen eius illecebris resistendum est. Vim enim infert verbo quod est „se imputare." Num Kiaerus affert ullum locum, quo hoc verbum eo sensu usurpetur, ut idem sit quod „se subicere"? Attamen hanc sententiam ei subdere non dubitat. Verbum imputandi significat „in accepta referre", tum „adscribere" èt in bonam partem = „beneficii collati loco ponere", èt in malam = obicere (cf. Ovid. Met. II 400: natumque obiectat et imputat illis). Conf. Phaedr. I 22 vs. 8 et 12. Duobus insuper collatis locis, quos dedit Forcellini: Tac. Hist. I 38: „hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet" i. e. „quis maius mihi beneficium contulisse se dicat, et magis me sibi obnoxium esse ostendat"; Plin. Pan. 24: „copiam tui, non ut imputes, facis", satis apparet significationem exprobrandi voci inesse.

Subiectum huius verbi „uxor" procul dubio esse potest, nam in tota hac satira de mulierum vitiis, etiam nulla mutati subiecti significatione facta, uxor vel femina fit subiectum.

Tum notio nobilitatis quae, ut ex loco Ovidii Met. VI 170 sqq. patet, Niobae inprimis fuit perniciei, et cuius stimulo etiam Cornelia magnos sibi spiritus sumpserat, valde requiritur, quae notio optime expressa est verbo quod est „gravitas", quippe quo etiam ea nobilitatis

proprietas contineatur, quae vel maxime aliis molesta est, quin odium parit (quod minime de fertilitate dici posse nemo non videt), nam qui fit, ut poeta illa gravia et acerba vocabula usurpaverit, quae legimus versu 183? Omnibus autem, quae iam monui, gravius est id, quod substantivum „gravitas" non significat „fertilitas." Fieri potest ut sit idem ac „graviditas", verum ne hoc quidem constat. Nam primum adiectivum „gravis", ubi de muliere gravida dicitur, semper verbis coniunctum est hanc significationem illustrantibus, ne lector locum perverse accipiat. Tum substantivum „gravitas" ea significatione semel tantum occurrit apud Ovidium Met. VIIII 287, ita tamen, ut verba coniuncta lectorem de hoc sensu admoneant: „extendit uterum gravitas mihi", quo loco verbum abstractum „gravitas" pro concreto „fetu" usurpatum esse opinatur Forcellini. Porro adiectivum „gravis" hoc sensu nusquam invenitur apud Iuvenalem. Quae cum ita sint, statuendum est hoc loco verbum significare quod et alibi: dignitatem, auctoritatem.

Gravitas igitur, quae etiam continetur pudicitia, et forma coniunctae efficiunt bonum illud, quod pro summo et raro celebrat noster Sat. X 297:

„rara est adeo concordia formae atque pudicitiae."

VS. 184.

Quaedam parva quidem sed non toleranda maritis.

Pessime hunc versum enarrasse mihi videtur Weid-

nerus [1]). „Quaedam" reddit verbo Germanico „Manche", quam significationem hoc vocabulum etiam singulari numero habere nesciebam. Ad vocem quae est „parva" hoc adnotavit: „parva sc. animo et corpore. Denn mit dem Begriff der Schönheit verbanden die Alten von Homer an zugleich die Vorstellung der Grösze der Würde, der gravitas wie vs. 178. Nun soll aber parva zugleich den Gegensatz zu dem Vorausgehenden enthalten, folglich muss es das Gegentheil der gravitas bedeuten = animo demissa, bescheiden, anspruchslos." Quae nunc est opinio viri docti? Estne hoc loco cogitandum de animo an de corporis brevitate an de utroque? Secundum ea quae dixit parvo esse corpore vitium est. Oppositio autem adiectivorum quae sunt „parva" et „non toleranda" per particulas „quidem — sed", cum „non toleranda maritis" de re mala dicatur, te cogit, ut „parva" in bonam accipias partem. Sequitur ut „parva" de corporis brevitate dici non possit.

At de animi modestia! Ne hoc quidem verum esse potest. Nam fac vocabulo nostro hanc vim inesse (quod vehementer dubito, quia sensu metaphorico in malam vulgo dicitur partem, cf. Forcell. sub voce), tum habebis significationem, quam si comparaveris cum iis, quae poeta in sequentibus de his mulieribus copiosius exponit, mox videbis has notiones adversis frontibus inter se esse oppositas. An ea, quae de affectatione, simulatione, detestabili placendi studio memorat poeta, sunt

---

[1]) l. l. pag. 131.

feminae modestae, sunt mulieris nihil sibi postulantis? Si enim diligenter ad verba attendis, animadvertis de mulieribus sermonem esse, quae omnibus modis viris placere cupiant. Nam qua re sermonem Graecum affectant? Quod aliter formosae non sunt i. e. viris non placent. Propterea quaepiam summo studio enititur ut ex Tuscula i. e. ex femina simplici, decenti, malas placendi artes aspernanti (quod egregie affirmatur Epigr. Mart. X 68, quo loco de consimili mulierum studio agitur,) ex Tuscula dico, Graecula fiat i. e. secundum Iuvenalis de Graecis opinionem femina levis, inhonesta, impudica. Cf. vs. 191: „concumbunt Graece."

„Quaedam" igitur de rebus intellegendum est: „vitia quaedam, quamvis parva esse videantur, tamen a ma ritis tolerari nequeunt."

VS. 192—199.

Tune etiam, quam sextus et octogensimus annus
pulsat, adhuc graece? non est hic sermo pudicus
in vetula. Quotiens lascivum intervenit illud
ζωὴ καὶ ψυχή, modo sub lodice relictis
uteris in turba; quod enim non excitet inguen
vox blanda et nequam? digitos habet. ut tamen omnes
subsidant pinnae: dicas haec mollius Haemo
quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Versus sunt vexatissimi. Huc usque nondum recte enarrati esse videntur. Omnes interpretes magnas reli-

querunt difficultates. Nuper Kiaerus novam iniit interpretandi viam, sed quamvis alioqui tuto eum ducem sequaris, nunc cum eo vereor ne aberres. Tres potissimum sunt sententiae, quae omnium interpretum conatibus resistant, quarum prima est haec: „non est hic sermo pudicus in vetula." Quae verba, si per se spectes, nihil omnino dicunt. Nam qui fit ut „hic sermo non sit pudicus"? Si cum sequentibus, quod vulgo fit, coniungas, haec fere est sententia: „hic sermo non est pudicus: etenim quoties illud lascivum usurpas, uteris verbis, quibus modo in concubitu viro adblandita es." Tum vero quam grave, quam efficax est illud „pudicus!" Quasi quisquam hoc addubitet! An vero pudicus est in puella? — Altera est ea quam poeta sic extulit: „modo sub lodice relictis uteris in turba." Haec verba recte se habere non possunt, nam molesta iis inest contradictio: quo modo enim possis in turba i. e. in publico iis uti, quae alibi reliqueris? Heinrichius adeo de his duabus sententiis desperavit, ut a monacho quodam profectas esse statuens eas deleverit. — Denique verba quae sequuntur: „quod enim non excitet inguen vox blanda et nequam? digitos habet" quodammodo obscura sunt, aut, ut accuratius dicam, illud „enim" apte explicari non potest. Cuius rei enim affert causam? Non certe eorum quae praecedunt. Nam poetam significare voluisse, vocem blandam adeo excitare inguen, ut et vetula viros ea illicere sub lodicem posset, nemo putabit. Insuper verba, quae post leguntur: „facies tua computat annos" satis ostendunt vetulam

oleum et operam perdere, neque ut vocibus dulcibus virum ad coitum impellat ei contingere. His difficultatibus locus laborat.

Kiaerus[1]), modo unam difficultatem tollas, putat omnia recte se habere; tantum vero abest ut illas sustulerit, ut novas addiderit remque magis turbaverit. Is enim, postquam Iahnii versuum distinctionem rem non expedire statuit, Heinrichioque concessit voces „uteris relictis" cum vocibus „uteris in turba" non convenire, sic pergit: „una tantum loci enarrandi via restare videtur, quam, quia argumentis satis idoneis eam firmare nequeo, aliorum iudicio subiciam potius quam defendam. Voces „in turba" quae sententiam perturbant, cum subsequentibus non cum superioribus iungenda esse credo et scribendum:

> Quoties lascivum intervenit illud
> ζωή καί ψυχή, modo sub lodice relictis
> uteris. In turba quod enim non excitet inguen etc.

Participium, quod est „relictis", nudum positum esse nequit, et cum praecedentibus vocibus „sub lodice" cum ob verborum positum tum ob metri rationem arcte cohaeret, quam ob rem non „sub lodice uteris relictis" enarrandum est." Paullo post enarrationem sic absolvit: „Iuvenalis locutionibus ex quotidiano sermone sumptis saepius utitur, et hoc loco eum talem locutionem, quae de hominibus infimis ferretur (sub lodice relictum esse =

---

[1]) l. l. pag. 103 sqq.

ad inopiam redactum esse, et ex qualibet lingua locutiones eandem sententiam eisdem fere verbis exprimentes erui possunt) adhibuisse crediderim. Quod si statui potest, omnia recta erunt; poeta anum libidinosam, ut libidini satisfiat, ad homines ex turba confugientem describit, et hoc dicit: quoties illa scortorum verba intervenerunt, scorti partes agis et infimis hominibus uteris."

Pauca ad illa refutanda sufficere mihi videntur. Primum quod ipse Kiaerus tacitus fatetur, locutio „sub lodice relicti" pro iis „qui ad inopiam redacti sunt" nullo omnino exemplo firmatur; tum interest aliquid, opinor, inter homines de infima plebecula et eos qui, ut nunc ad inopiam „redacti" sunt, ita olim honestiorem locum obtinuerunt; neque vero quisquam hos tali modo designet, nisi qui praesentes sordes dignitati amissae opponere studeat: quod in nostrum locum non cadit. Sed et alia obstant, nam membrorum manifesto inter se oppositorum, quae sunt „sub lodice" et „in turba" oppositio plane tollitur. Tum transitus ab sententia: „non est hic sermo pudicus" ad illam „uteris viris infimis" tam abruptus est, ut nihil supra possit. Sed quod maioris momenti est, sententia „in turba quod enim non excitet inguen?" stolida est et absurda. Poeta enim diceret vetulam pauperibus uti, quod hi imprimis deleniantur anus libidinosae blanda voce! tanquam viri pauperes propter delicias, at non pecunia sollicitati anum adituri sint! Si aliquid addendum est, quaeri potest quid sibi velit illud „modo" cum praesenti verbi tempore

iunctum. Poeta enim loquitur de iis, quae vetula in cotidiano sermone interserit, et cum verbis „sub lodice relictis" i. e. pauperibus (secundum Kiaerum) iungi nequit, quoniam tum poeta, ut semper alias, usurpasset „tantum."

Restat ut transeamus ad aliam explicationem quae, si quid video, locum reddit perspicuum. Incipiendum est ab illis: „non est hic sermo pudicus in vetula." Ut haec recte intellegamus revertendum est ad vs. 184. In quo loco tractando iam vidimus de eo linguae Graecae usu sermonem esse, quo id tantum agant feminae, ut formosae videantur i. e. ut viris placeant. Verbis „hic sermo" tali modo explicatis statim in oculos incurrit, quare poeta dixerit hunc sermonem i. e. talem linguae usum omnino in vetula esse reprehendendum.

Sequentia recta esse non possunt nisi addideris aliqua et mutaveris. Parvis mutationibus legendum puto: At quoties lascivum intervenit illud ζωή καί ψυχή, modo sub lodice relatis (sive graviore adhibita medela: emissis) uteris in turba. „At" necessario addendum esse puto, quoniam aliter haec sententia nihil nisi explicationem continet praecedentium, quo fit ut id, quod poeta superioribus expressit, sermonem Graecum omnino in vetula esse reprehendendum, suam vim amittat. Dixerit enim quispiam: omitte igitur illud lascivum, et ex animi sententia „pave hoc sermone et effunde iram tuam gaudia curas." Verbum „relictis" in „relatis" (referre = enuntiare, cf. Verg. Aen. I 94: „talia voce refert") mutandum est, et particula „modo" aliter explicanda. Ita demum optima

oritur sententia, ni fallor, quae et sequentibus aptissime excipiatur. Hoc dicit: at vero quoties lascivum intervenit illud ζωὴ καὶ ψυχή, uteris in publico verbis, quae modo (i. e. ante, cum nondum vetula eras, illo tempore quo in viri amplexibus saepius illa verba emisisti) sub lodice emissa sunt a te, quibus antea viros ad coitum pellexisti. Quod enim (ita secum anus cogitat) non excitet inguen vox blanda et nequam? Mart. VI 23. Hoc vetulam facio cogitantem, quo acerbius etiam poeta perstringat mentem anus detestabili pollutam libidine, quippe quae ita id consilium iniisse demonstretur, ut viros sub lodicem illiceret. Gravius nunc et vehementius feriunt haec verba poetae: „ut tamen omnes subsidant pinnae: dicas haec mollius Haemo quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Si quis lectionem „emissis" eo aspernetur, quod spondeus in quinto versus pede inveniatur dactylo non praecedente, conferat Sat. V 38: „Heliadum crustas et inaequales beryllos."

„Modo relatis" (emissis) optimum praebent sensum, sive participio quod est „relatis" significantur ea quae relata sunt, sive quae referebantur, nam participium perfectum de actione vel statu interdum dici nulla temporis significatione facta, imprimis cum absolute positum sit, abunde patet ex locis quos Draegerus in libro qui inscribitur: Hist. Syntax der Lat. Sprache, Vol. III § 574 et 582, permultos attulit. Eodem modo Sat. I versu 114 verba „salutato nido" significant „nidus cum salutatur", ut non egeas explicatione ex-

quisitiore quam veriore Bogeni [1]) sic enarrantis: „crepitant pulli cum parentes nidum salutavere."

Superest ut rationes reddam vocis quae est „modo", secus ac vulgo fit, explicatae. Hac particula vulgo significatur ea quidem id, quod puncto temporis ante factum est, sed haud ita raro de iis ponitur, quae satis pridem evenerunt. Locos afferam nonnullos, quibus tali sensu invenitur apud alios scriptores: Cic. de div. 1. 44: „modo, Marsico bello, templum est a senatu Iunoni restitutum" i. e. 46 annis ante; Liv. VI 40: „si hodie bella sunt, quale Gallicum modo" sc. 22 annis ante; Cic. off. II 21: „modo hoc malum in rempublicam invasit", quod septuaginta iam annis ante irrepserat. Apud nostrum poetam hanc vocis significationem demonstrare vel ideo difficile est, quod saepissime quo tempore res gestae sint non satis constat. Attamen uno alteroque loco vix dubito quin talem habeat sensum. In Sat. VIII 238: „hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae municipalis eques" dicitur Cicero. Romam venit eques municipalis post bellum Marsicum anno 88 finitum. „Modo" igitur spatium amplecti potest 25 annorum. Uno autem loco hanc sententiam voci inesse omnes mihi dabunt. In Sat. 2 vs. 160 legimus: „arma quidem ultra litora Iubernae promovimus et modo captas Orcadas." Notum est Agricolam has insulas adiisse inter annos 78 et 84, nam sequenti anno eum a Domitiano revocatum esse constat. Quo autem tempore haec satura scripta sit, ut mathe-

---

[1]) Bogen. Diss. Crit. pag. 22.

maticorum more diligenter statui nequit, ita maxime est probabile, id factum esse intra annos 101 et 105. Hoc saltem constat, ante annum centesimum saturam non esse compositam, quoniam de rebus sermo est post eum annum gestis. Ex utraque annorum serie medium annum eligentes reperimus particulam hic de re dici, quae ante 27 annos facta sit. De hac verbi significatione egit Gron. observ. 4. 18 pag. 483 ed. Frotscher. Vide Schmidtium [1]) scribentem adverbio quod est „nuper" non ubique significari tempus proxime antecedens, sed etiam tempus ante triennium, ante quatuor, decem vel quadraginta annos allato Zumptio, in Verr. 2. 47. 118. pag. 353.

VS. 206—207.

Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
est animus, summitte caput sqq.

Propter hoc asyndeton Heinrichius aliique locum coniecturis vexaverunt. Iacobsius scripsit: „deditus uni si est animus"; Heinrichius: „si uxori deditus uni est animus", quod ferri nequit. Primo verbum quod est „simplicitas" nude positum non satis definitam significationem habere mihi videtur. Tum nostro loco „deditus uni" non valet „uni uxori deditum esse", sed „se totum tradere uni homini."

Id quod membra quae sunt „simplicitas uxoria" et „deditus uni est animus" per chiasmum quem dicunt

---

[1]) Arn. Schmidt. Disp. Phil. pag. 39.

elata sunt, effecit ut copula omissa sit. Cf. Sat. II 56: „(vos) Penelope melius, levius torquetis Arachne"; V 41: „qui numeret gemmas, ungues observet acutos"; et VI 117.

VS. 224—230.

Imperat ergo viro; sed mox haec regna relinquit
permutatque domos et flammea conterit; inde
avolat et spreti repetit vestigia lecti.
ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
vela domus et adhuc virides in limine ramos.
sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
quinque per autumnos, titulo res digna sepulcro.

Poeta postquam in praecedentibus invectus est in uxorem imperiosam, a versu 224 sic narrare pergit: „haec uxor tamen mox haec regna (ubi tanquam regina marito imperitaverat) relinquit, domos permutat, flammea conterit; post repetit vestigia spreti lecti. Ergo rediit ad primum maritum. Nunc autem hi versus sequuntur: „ornatas paulo ante fores — ramos", quos difficultate quadam premi iam vidit Heinrichius, adnotans eos non recte cum superioribus cohaerere. Sermo est de nuptiis paulo ante celebratis. Cum quo? Cum primo marito an cum alio viro? Si cum primo marito, prioribusne de nuptiis an de alteris sermo est? Sequitur ut interpretibus tres pateant viae. Alii iungunt vs. 227—228 cum vs. 225, eosque putant respicere ad nuptias cum alio viro celebratas; alii cum vs. 224 cogitantes de prioribus

nuptiis cum primo marito; alii cum 226 cogitantes de alteris.

Qui eos cum vs. 225 iungunt vel eo errare mihi videntur, quod poeta, cum uxorem ad primum maritum iam rediisse orbemque ita peregisse dixerit, nullo modo ad priora relabi potest. Hoc enim poetae obtrudere non licet, quod cum anili loquacitate nunc huc nunc illuc saliat, nunc ad novum argumentum properet nunc ad vetera recidat. Insuper si illud voluisset, nonne pro „linquis" posuisset „liquit" vel „linquens"? Porro aliud argumentum exstat, quod, cum et in eum, qui alteram sequitur interpretationem, valeat, mox afferam.

Hic autem, Kiaerum dico, in libro quem scripsit de sermone Iuvenalis, p. 164, hos versus coniungit cum vs. 224, eosque transponendos esse censet et sic legendum:

Imperat ergo viro sed mox haec regna relinquit.
ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
vela domus et adhuc virides in limine ramos,
permutatque domos et flammea conterit, inde
avolat et spreti repetit vestigia lecti.

Haec verba addit: „qua versuum distributione substituta uxor semel domum viri relinquere, atque post varias nuptias primum matrimonium repetere dicitur, et molesta alterarum cum primo viro nuptiarum celebri festo actarum commemoratio tollitur. Oratio decurrit et iunctura versuum ei iuncturae quae apud Iuvenalem vulgaris est respondet."

Quam interpretationem, licet ingeniose sit excogitata, facere non possum quin gravius reprehendam.

Nam, ut hoc omittam quod versus primi in eandem vocem exeuntes auditu minus sunt suaves, quae insuavitas locis, quos attulit, satis defendi non potest; ut etiam hoc silentio praeteream quod tum illa omnia, quae vs. 212—223 narrantur, temporis spatio facta esse tam exiguo, ut ne ramis quidem viridibus ad exarescendum satis temporis daretur, iure miramur (nonne enim exspectandum est fore, ut femina, quamvis varia et mutabilis, primo saltem marito diutius indulgeat? nonne humanae naturae hoc magis consentaneum est?) his omnibus missis unum habeo argumentum, quo huius interpretationis penitus eruatur fundamentum.

Femina marito relicto, domibus permutatis, flammeis contritis tandem aliquando ad primum virum redierat. Ergo domibus permutandis finis impositus est. Quid autem sequitur? „Sic crescit numerus." Haec verba cum necessario ad versus praecedentes referri debeant, in illo sententiarum nexu ferri non possunt. Non enim vestigia spreti lecti repetendo, sed flammea conterendo domosque permutando numerus crescit. Quod cum negari non possit, necesse esse pro certo statuimus, ut ante illa verba „sic crescit numerus" versus ponatur, quo significetur domum mariti *relictam* non *repetitam* esse. Id cum indicetur vs. 227—228, fieri non potest ut hi versus a sequenti divellantur.

Quod dicit Kiaerus illarum alterarum cum primo viro nuptiarum commemorationem molestam esse, parvi

momenti esse puto. Nam cum femina maritum reliquisset non tantum, sed novas nuptias celebrasset, necesse erat iterum eam cum primo viro eas adornare, quas, qua erat in uxorem indulgentia, illum celebri festo egisse non est mirandum.

Restat ut vs. 227—228 accipiantur de alteris cum primo marito nuptiis, cui enarrationi plurimi interpretes favent. Haec tum est sententia: „uxor postquam maritum reliquit domosque permutavit ad primum virum redit. Verum femina levis et inconstans hoc mariti gaudium non sinit esse longum. Paulo post ramis in limine adhuc virentibus iterum deserit coniugem." Nunc optime sequuntur verba: „sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti." Ut autem sententia recte se habet, ita de verborum contextu idem dici non potest. Accuratius enim si attendimus ad hos versus:

inde
avolat et spreti repetit vestigia lecti.
ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
vela domus eqs.

hic aliquid vitiosi latere nemo non videt. Cum enim omnes sententiae in his versibus (224—230) copulative iunctae sint, hic omnis iunctura deest, omnis adversativae notionis significatio omissa est. Poetam nonnunquam asyndeto adversativo indulsisse probe scio, sed tum verba inter se opposita adversativae particulae vice funguntur et primarium versus obtinent locum. Cf. I 107, III 121. Tum notio iterati facti dure omissa est.

Ut brevi praecidam: praedicatum quod est „linquit" positum foret pro „sed iterum linquit", quod non admittendum est.

Cum versus 225—226 in nonnullis codicibus desiderentur, itaque in archetypo fortasse lectu difficiliores fuerint, quo fieri potuerit, ut tertius versus, utpote plane foedatus, nunquam post in textum reciperetur, sicut etiam factum esse videmus in Sat. III post versum undecimum, ubi Ribbeckius lacunam indicavit a Iahnio in textum receptum, vix dubium esse mihi videtur, quin ante vs. 227 versus exciderit, cuius haec fere fuerit sententia: „sed non diu gaudet amanti, nam iterum" vel tale quid.

VS. 237—238.

Abditus interea latet et secretus adulter,
impatiensque morae pavet et praeputia ducit.

Adulter abditus in domo moechae, dum hora exspectata veniat, dicitur „pavere impatiens morae et praeputia ducere." Quae verba (pavere et pr. ducere) cum inter se non respondeant, et „pavere" male dicatur de eo, qui amoris desiderio carpitur, iam dudum ab interpretibus de lectione „pavet" dubitatum est. Codices non magis consentiunt. Alii habent „pavet", alii, inter quos Pithoeanus est, „silet." Weidnerus coniecit „ciet", Ribbeckius „salit", alius „tremit." Lectio codicum qui exhibent „si let" admodum est languida otiosaque. Weidneri coniectura tautologiam parit, Ribbeckii huic loco parum apta

videtur, et emendatio nescio cuius legentis „tremit" magis declinat a codicum lectione. Valde mihi arridet „calet", unde et „pavet" et „silet" facile oriri potuerunt, quodque sensum habet huic loco aptissimum. „Calere amoris desiderio" dici posse satis notum est: Hor. Carm. IIII 10. 33: „non magis calebo de femina"; Ovid. Metam. VII 731: „desiderio calet." Sensus nostri loci fere idem est atque versus 327: „prurigo morae impatiens."

VS. 309—313.

Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic
effigiemque deae longis siphonibus implent,
inque vices equitant et luna teste moventur.
inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
coniugis urinam magnos visurus amicos.

Duos posteriores versus Iuvenale indignos habeo. Nullus dubito quin ab impuro monacho profecti sint, cum et omni virtute comica et satirica careant, et verborum tantum sordes contineant. Nonne admodum quaesita sunt? Nonne omni carent probabilitate? Cum e verbis „noctibus hic ponunt lecticas" (vs. 309) luculenter pateat feminas domum redire, non est quod interpolatoris admiremur inveniendi facultatem dicentis: „inde domos abeunt." Dom. Calderinus [1]) hos versus sic interpretatus est: „cum vis surgere ad salutandos divites amicos, tu prius vis coire cum uxore; sed nihil sper-

[1]) Sat. Iuv. Rec. Mancin. pag. 88.

matis in ea reperies, nam exhausit lumbos nocturno tempore cum aliis mulieribus." Haec ridicula et absurda interpretatio mihi quidem inde orta esse videtur, quod vulgaris enarratio esset insulsa et poeta indigna, ita ut graviorem sententiam subesse putaret.

Weidnerus [1]) verba quae praecedunt „et luna teste moventur" falso accepit de pudore, quo eos afficeret Luna testis; quod si verum esset, poeta sic scripsisset, ni fallor: „at Luna teste", vel „Luna demum teste." Praeterea tales mulieres Luna teste commoveri parum est probabile. Denique talem explicationem a nostro loco prorsus alienam esse mihi dabit, quicunque totius loci colorem recte perspexerit.

VS. 337—341.

Noverunt Mauri atque Indi, quae psaltria penem
maiorem, quam sunt duo Caesaris Anticatones
illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
intulerit, ubi velari pictura iubetur,
quaecunque alterius sexus imitata figuram est.

Versus 338—339 ut eiceret Scholtius, his levissimis adductus est causis: „non opus erat ut illa Psaltria accuratius describeretur; sequens vox eam (Clodium) satis significat. Versus 339 omni fere sensu communi caret. Num mus femina inde non fugit?" Nihil amplius addit. Est sane dictu difficile, quid ubique multum sit,

---

[1]) l. l. pag. 143.

quid parum, quid omitti addive potuerit (talia sentiri debent; non possunt quasi ad circinum et ad normam exigi), hoc tamen audacter affirmare ausim, paucos aut ne paucos quidem cum Scholtio vituperaturos poetam, quod hoc loco hunc versum lepidum (vs. 339) addiderit. Altera, quam affert, causa est inanissima. Tantum abest, ut ei concedam hunc versum omni carere sensu communi, ut hyperbolem esse putem pulcherrimam, cui insit summa virtus comica. Lepidissime his verbis exprimit poeta eum locum esse sanctuarium feminarum et sacrarium, quo nihil, quod usquam est masculi, ne musculum quidem, intrare fas sit. Contra mures feminae quominus adsint nulla religio est. Audi Ciceronem, de Har. Resp. 37: „quod quidem sacrificium ante P. Clodium nemo omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir aspicere non horruit." Insuper verba quae sunt „penem maiorem quam duo Anticatones" egregie opposita sunt verbis „testiculi sibi conscius mus." Simile quid in Scholtio reprehendendum videtur ad versum 485 huius saturae, ubi haec adnotavit: „Accedit quod vocabulum „cognitio" alibi, ni fallor, nunquam de ipsa poena sed semper de inquisitione dicitur." Vox enim, quae est „cognitio", consulto hic posita est a poeta, ut tam atroces inquisitiones gravius perstringeret. Possis ex Sat. III, 289:

Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

leni mutatione huc arcessere: si cognitio est, ubi tu saevis, ego vapulo tantum.

VS. 376—378.

Dormiat ille
cum domina, sed tu iam durum, Postume, iamque
tondendum eunucho Bromium committere noli.

Verba quae sunt „eunucho Bromium committere noli" dubitationes movent. Ut Heinrichii [1]) interpretatio Lubinum [2]) sequentis et sic vertentis: „noli Bromium credere eunucho, quippe qui eum diffisurus sit et plane perditurus" vel ideo displicet, quod verba quae sunt „durum iamque tondendum" vehementer ei obstant, cum „delicatum" potius vel tale quid exspectes, ita Ruperti enarratio, quam ceteroquin valde approbo, te cogit, ut duram constructionem „eunucho committere" pro eo quod est „cum eunucho committere" concoquas, quod vix Latine dici posse puto. Quas ob causas pro „eunucho" legendum puto „cum illo" literarum ductibus non multum inter se distantibus, ita ut eadem sententia oriatur. Etenim versus 375 „nec dubie custodem vitis et horti provocat" viam sternit ad sequentia: tu cave ne ille provocet Bromium, et certamen cum eo ineat stupri uxori tuae inferendi, quae mox ex illo concipiat. Quod in primis de eunucho sermo est, ex verbis „cum illo" ortum esse „eunucho" ne mireris.

---

[1]) l. l. pag. 235 Vol. II.
[2]) Iuv. Sat. Rec. Henn. pag. 809.

VS. 408—409.

Famam rumoresque illa recentis
excipit ad portas, quosdam facit eqs.

Verba quae sunt „quosdam facit" ita nude posita sunt, ut putem ante „facit" excidisse particulam *et*. Accedit quod in voce „facit" omnis sententiae vis posita est. Conferas Sat. X vs. 317: „necat hic ferro, secat ille cruentis verberibus, quosdam (moechos) *et* mugilis intrat."

Particula *et* in Codice Pithoeano etiam omissa est Sat. VI 237.

VS. 457—468.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
cum virides gemmas collo circumdedit et cum
auribus extentis magnos commisit elenchos.
460 intolerabilius nihil est quam femina dives.
interea foeda aspectu ridendaque multo
pane tumet facies aut pinguia Poppaeana
spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti:
464 ad moechum lota veniunt cute. quando videri
vult formonsa domi? moechis foliata parantur,
his emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
tandem aperit vultum et tectoria prima reponit,
incipit agnosci eqs.

Versus 464—466 transposuit Madvigius et collocavit

post versum 460 iure, ut mihi quidem videtur, maximo. Weidnerus [1]) autem contextum a codicibus profectum retinuit et propter alia et ea de causa, quod sententia „ad moechum lota veniunt cute" suum oppositum non haberet. Sed verba quae sequuntur „quando vult formonsa videri domi" ei opposita sunt, et sic opposita, ut inde vel gravissimum oriatur argumentum ad Madvigii transpositionem probandam.

Haec enim verba in vulgari versuum ordine, quo voces „ad moechum lota veniunt cute" opponuntur praecedentibus, quam maxime sunt otiosa et ipsa femina divite intolerabiliora. Nunc autem membris per asyndeton adversativum positis habemus: „ad moechum veniunt lota cute, sed quando sunt formosae domi?"

VS. 479—480.

hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
hic scutica; sunt quae tortoribus annua praestent.

Sententia quae incipit a „sunt quae" intellegenda esse mihi videtur de ancillis, non, ut vulgo fit, de dominis, quod ne fieret, a poeta cautum est pronominum oppositione: hic — ille, hic — sunt quae. Cf. Sat. III 245, VI 64. De voce „praestat" et quid eius subiectum sit, vide Sat. VII 106. Itaque post „scutica" commate incidendum est.

---

[1]) l. l. pag. 155.

VS. 512—515.

Chorus intrat et ingens
semivir, obscena facies reverenda minori,
mollia qui rapta secuit genitalia testa
iam pridem.

Non est quod Heinrichius [1]) vituperet lectionem Ruperti pro „rapta" conicientis „rupta", nam loci, quos ipse ex Vergilio affert ad vulgarem tuendam lectionem, huc non pertinent. Ibi enim de celeri motu sermo est, nostro loco non item.

Notio potius *acutae* testae huic loco convenit, quam notionem voci, quae est „rupta", inesse nemo negabit. Conferas Catul. 63. 5: „devolsit ilei acuto sibi pondera silice."

VS. 557—564.

Praecipuus tamen est horum, qui saepius exsul,
cuius amicitia conducendaque tabella
magnus civis obit et formidatus Othoni.
inde fides artis, sonuit si dextera ferro
laevaque, si longo castrorum in carcere mansit.
nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
contigit et parva tandem caruisse Seripho.

Hos versus diligenter qui legerit, aliquid supervacui

---

[1]) Sat. Iuv. Vol. II pag. 272.

inesse iis, mihi adsentietur. Haec enim dicit poeta: „praecipuus mathematicorum est is, qui saepius exsul fuit, qui se corrumpi patitur, qui in vinclis et carcere diu fuit; indemnatus nemo genium habebit. Sed is qui paene periit, qui relegatus est diuque in exsilio vixit." Postremi duo versus nonne eadem fere continent, quae in prioribus iam dicta erant?

Attamen hos duos versus minime Iuvenale indignos habeo, verum puto documento esse alterius ab ipso poeta profectae recensionis, qualis recensionis Teuffelius primus agnovit vestigia, et aut omittendos vs. 560—561 (de tali sententiarum nexu conferendi Sat. V vs. 56—62), aut vs. 563—564, quos poeta fortasse in margine posuit, ut pro vs. 60—61 locum occuparent post vs. 62.

His iam scriptis vidi Ribbeckium [1]) vs. 60—61 eiecisse.

VS. 610—611.

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.

Falli mihi videtur Weidnerus [2]), verba quae sunt „hic — hic" non pronomina esse dicens sed adverbia. Quid tum est subiectum verbi „affert"; quid vocis quae est „vendit"? An uxor? Num uxor *vendit* philtra? Credo virum doctum pro „vendit" intellexisse „emit."

1) l. l. pag. 167 sqq.
2) l. l. pag. 165.

SATURA VII.

VS. 141—143.

Respicit haec primum qui litigat, an tibi servi
octo, decem comites, an post te sella, togati
ante pedes.

Idem Weidnerus [1]) contendit „comites" esse praedicatum verbi, quod est „servi", ut haec sit sententia: „respicit utrum tibi octo an decem servi sint comites" mire errans, nam positus verborum, quae per chiasmum elata sunt eodem modo quo sequentia, satis docet sensum esse: an tibi sint octo servi, decem comites i. e. „clientes togati"; an sella post te, togati ante te sint. Quantulum porro intererat utrum decem essent comites an octo?

VS. 175—177.

Tempta,
Chrysogonus quanti doceat vel Polio quanti
lautorum pueros: artem scindens Theodori.

Verissima mihi videtur emendatio Iahnii pro „scindens" scribentis „scindes", quod egregie convenit cum poetae loquendi usu imperativo adnectentis sine copula futurum tempus indicativi. Conferas Sat. I 155: „Pone

---

[1]) l. l. pag. 180.

Tigellinum, taeda lucebis in illa"; VIII 173: „in magna legatum quaere popina; invenies cum percussore iacentem"; VII 122. Participium quod est „scindens" ferri posse ne Madvigio [1]) quidem adseveranti crediderim.

VS. 197—198.

Si Fortuna volet, fies de rhetore consul;
si volet haec eadem, fies de consule rhetor.

Sententia posterior fortasse a librariis huic saturae inculcata est. Poeta enim in praecedentibus loquitur de felicibus, de iis quos Fortuna ex humili loco ad summum fastigium extulit, quique felicibus sideribus nati sunt. Haec non quadrant in eum qui de consule rhetor fit. Neque exempla, quae proponit vs. 199 sqq., huic sententiae lucem afferunt verum priori.

Quam facile ex illa haec de qua agimus sententia deduci potuerit, nemo non videt.

Porro animadvertas velim (ut iam docuit Scholtius [2])) in hoc loco sermonem non esse de *mutabili* Fortuna; quod si ita esset, poetam insuper scripturum fuisse: „si Fortuna volet, fies de consule rhetor", iisdem fere usum verbis: cf. Ovid. Metam. I 325, V 208.

---

[1]) Mad. Opus. Acad. I 59 sqq.
[2]) l. l. pag. 63.

SATURA VIII.

VS. 24—30.

Sanctus haberi
iustitiaeque tenax factis dictisque mereris,
agnosco procerem: salve Gaetulice, seu tu
Silanus. quocumque alio de sanguine rarus
civis et egregius patriae contingis ovanti,
exclamare libet, populus quod clamat Osiri
invento.

Verba quae sunt „quocunque alio de sanguine" cum iis quae praecedunt iungi nullo modo possunt. Tunc enim poeta scribere debuit: „seu tu Silanus seu alio de sanguine." Post „Silanus" igitur graviore signo incidendum, et a „quocunque" nova incipienda est sententia, sicuti Iahnius fecit aliique.

Sententia autem generalis, quae tunc nascitur, adeo inepta mihi quidem videtur, ut qui fieri potuerit, ut multi doctique interpretes Iahnium secuti sint, satis mirari non possim. Quid enim? Habemus: „quocunque alio de sanguine civis egregius patriae contingis, exclamare libet" eqs. Gaetulicus ergo et Silanus et nobilis esse non debes: de alio i. e. plebeio sanguine quocunque genitum esse te oportet. Quod absurdum est.

Si sententia generalis est, et ita esse debet, extra

dubium positum esse credo, verbum quod est „alio" mendosum esse. Verba „quocunque" et „alio" iungi non possunt. Qua voce summota exspectes: „quocunque de sanguine civis patriae contingit." Cum codices autem summo consensu tradant „contingis" (etsi verba quae sunt „seu tu Silanus", male intellecta et ad sequentia relata, quam facile librario potuerint persuadere, ut „contingit" cum „contingis" mutandum censeret, nemo non videt) haec lectio retinenda est.

Itaque statuendum est poetam se convertisse ad illum „procerem" menti suae adhuc obversantem, eiusque imaginem, quam sibi fingit, summa reverentia et amore salutasse. Cum autem „contingis" ad secundam personam pertineat, cumque affectui poetae aptissima sit iterata apostrophe, censeo pro „alio" legendum esse „o tu." Interiectio illa in oratione vivida et concitata, ut notum, est usitatissima.

E verbis „o tu", quae lectu fuerint difficiliora, librarius imperitus verbaque cum praecedentibus iungens facile pravam illam lectionem eruere potuit.

E. G. Weberus [1]) vir doctissimus de hoc loco verba faciens eum sic explicat: „salve Gaetulice seu tu Silanus (et) quocunque alio de sanguine." Dura est iunctura. Insuper vis sententiae debilitatur. Post verba „seu tu Silanus" voces „quocunque alio de sanguine" sine ulla vi languide postpouuntur. Nam in quo exsultat sermo poetae est hoc: „quisquis es, quocunque de sanguine,

---

[1]) E. G. Weber. Iuv. Sat. pag. 289 sqq.

si civis egregius, patria gaudebit." Ceterum et Schraderus hoc loco offensus est qui coniecit „quorumve alio."

VS. 64—67.

Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
umbrarum; dominos pretiis mutare iubentur
exiguis, trito ducunt epiredia collo
segnipedes dignique molam versare Nepotis.

Vox quae est „Nepotis" accipitur de nomine pistoris proprio ab omnibus fere veteribus interpretibus, quorum alius adnotavit: „nomen est proprium viri qui pistrinum habebat, de quo Martialis: Bis vicine Nepos"; alius, Lubinum dico, copiosius ut solet, esse nomen proprium affirmat molitoris avari, qui pistrinum habuerit, in quo die et nocte equos vexaret; alii aliud. Vellem dixissent unde id sumpsissent. Nunc vereor ne temere ex nostro ipso loco hauserint. Martialis enim, ad quem Brittannicus provocat, loquitur de Nepote quodam (Ep. VI 27), de Nepote molitore non loquitur. Domitius Calderinus in editione Mancinelli pag. 125 hoc etiam addit: „is pistrinum habebat, quod cum in omnium ore esset eius meminit Iuvenalis." Cuius ad opinionem libentissime accederem, si modo testimonio vel tantillo probasset illum molitorem revera exstitisse.

Lectionem „nepotis", quam in novissima editione Iahnius recepit, non defenderim. Non enim de maioribus minoribusve dominorum, verum equorum sermo est. De

dominis ita mentionem facit poeta tantum, ut dicat, equos „iuberi mutare dominos"; quid quod vix credendum est vilem equum venditione ab avo ad nepotem migrasse?

Quae cum ita sint, unice mihi placet lectio „nepotes" ut sententia sit: „maiorum ibi non est respectus — ducunt epiredia trito collo segnipedes minores." Quam egregie hoc conveniat cum initio horum versuum: „nil ibi maiorum respectus, gratia nulla umbrarum", quamque eximie poetae loquendi usus ita servetur membrorum inter se oppositorum alterum ponentis in principio, alterum in fine versus, neminem fugiet. Tum locutioni „segnipedes nepotes" magnam inesse virtutem comicam non est quod moneam. Cf. Sat. XII 109.

VS. 85—86.

Dignus morte perit, cenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aeno.

His versiculis facile caruerim. Admodum mihi displicent illa „ostrea centum" et unguenta parum apte opposita virtutibus, quas poeta memoravit vs. 79—84, cum potius exspectes aliquid simile iis, quae leguntur vs. 19—20: „Tota licet veteres exornent undique cerae atria."

Invehitur enim in hac satura in nobiles „alto" maiorum „stemmate tumentes."

VS. 134.

De quocunque voles proavum tibi sumito libro.

Sententia eorum quae praecedunt est: si summa aequitate et sanctitate provincias rexeris, re vera eris vir princeps et nobilis: genus ducas per me licebit a filio Saturni, a Titanibus, ab ipso Prometheo. Interpolator, cum nihil maius addere potuerit, non irridicule te ad libros relegat. Ribbeckium [1]) video versum iam eiecisse.

VS. 192—201.

Quanti sua funera vendant,
quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.
finge tamen gladios inde atque hinc pulpita poni:
quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
res haud mira tamen citharoedo principe mimus
nobilis. haec ultra quid erit nisi ludus? et illic
dedecus urbis habes, nec myrmillonis in armis,
nec clipeo Gracchum pugnantem aut falce supina.

Egregie de his versibus disputavit Madvigius [2]) vir cl. contra interpretum antiquorum et recentium confusiones perhibens, ante vs. 199 de ludis scaenicis tantum esse sermonem, non item de gladiatoria pugna. Viro eruditissimo obtemperandum esse docet totus contextus. Ubique enim de scaena sermo est, ut vs. 196 nec non vs. 198. Verba quae sunt „quanti sua funera vendant"

---

[1]) l. l. pag. 132.
[2]) Mad. Opus. Acad. II pag. 181 sqq.

(non de ludo gladiatorio verum) „figurate" dicta esse monens Madv. potuit provocare ad versum huius saturae 85. Contra Ruperto et Weidnero adsentior delentibus versum 194 ea praecipue de causa, quod hic versus verba „nullo cogente Nerone" divellit a versu 195, quod ullo modo ferri posse prorsus negaverim.

Illa ita esse Madvigius postquam ostendit, ad versum 199 accedit, quem sic enarrat: „Iuvenalis dicit: quid ultra haec restare nisi ludum lanistae et arenam? Nec id deesse; Gracchum pugnasse ac ne ea quidem armatura qua facies absconderetur."

Scholtius [1]) facem, quam et ipsi praetulit Madvigius, spernens, densisque tenebris rursus caput involvens putat, post artes scaenicas et *munus gladiatorium* nihil restare, nisi ut „nobilis aliquis vir tanquam vilis retiarius in arenam descendat", et conicit pro voce „ludus" legendum esse „nudus", quod ex descriptione quae sequitur pateat, Gracchum tanquam retiarium in arenam descendisse. Vereor ne haec levius quam verius a Scholtio dicta sint. Nam si revera poeta hoc scripsisset, quid sibi vellent illa „nec myrmillonis in armis" et quae sequuntur? Nonne oriretur admodum languida sententia et insulsa? Quid enim? Haec haberemus: haec ultra quid erit nisi nudus i. e. tunicatus? Et illic dedecus urbis habes i. e. et re vera tunicatum urbs vidit pugnantem, nec myrmillonis in armis eqs. Ergo: qui tunicatus est, non est myrmillonis in armis, nec clypeo

---

[1]) l. l. pag. 68 sqq.

pugnat. Quod insulsum est. Facile patebit „ludus" generaliter dictum esse de ludo gladiatorio, et specialiter addita esse verba „nec myrmillonis in armis" eqs. Primo genus notavit poeta, tum speciem descripsit, ut sit: in arenam descendit et quod gravius est, descendit tunicatus.

Loci, ad quos provocat Scholtius, a mea potius stant parte, nam quae dicit de tribus ignominiae gradibus: „primum ut quis in scaenam prodiret, tum ad galeam transiret, tandem ut tunicatus in arena pugnaret", ea non scripta sunt a Friedländero, quem laudat; verbaque Senecae (Quaest. Nat. VII c. 31) hic habes: „deinde sub persona cum diu trita frons est, transitur ad galeam." Itaque hi testes dicunt a scaena transitum esse ad arenam, nihil plus.

Weidnerus legit „ludius" quod „ludus gladiatorius" opponi non possit „mimo nobili." Num vero haec inter se opposita sunt? Quis eum hoc cogitare coegit? Poeta dixit: „quid erit ultra *haec* nisi ludus?" i. e. quid restat ultra has artes scaenicas nisi arenae foeditas?

VS. 254—258.

Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
nomina: pro totis legionibus hi tamen et pro
omnibus auxiliis atque omni pube Latina
sufficiunt dis infernis terraeque parenti:
pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis.

Postrema sententia post ea quae praecedunt non

solum plane otiosa esse videtur, sed ne apte quidem cum iis convenire. Nam quae pluris sunt quam ea, quae postulas, non modo tibi sufficiunt sed ea grato animo accipis. Tum comparatio Deciorum cum legionibus auxiliis pubeque Latina instituta absurda est. Piaculum enim culpae deo potest *sufficere*, non tamen pluris est quam quae servantur. Denique minus placet pronomen „illis" ad Decios respiciens, quod, cum etiam referri possit ad „dis infernis" et „totis legionibus auxiliis atque pube Latina" minus recte hic legitur. Praestaret „his", nam demonstrativo quod est „is" abstinet Iuvenalis. Vide Kiaerum [1]).

His iam scriptis vidi Herwerdenum [2]) versum iam eiecisse, qui simul causam interpolationis addidit.

SATURA VIIII.

VS. 146—148.

Sufficiunt haec,
quando ego pauper ero. votum miserabile, nec spes
his saltem; nam cum pro me Fortuna rogatur eqs.

Kiaerus [3]) postquam monuit haec verba sic enarrari

1) Kiaer. de Sermone Iuvenalis pag. 142.
2) Mnemosyne. Nova Series. Vol. I pag. 405 sqq.
3) l. l. pag. 55 sqq.

ut Naevolus hoc dicat: „sufficiunt haec, quando (quandoquidem) pauper ero" dicit verba quae sequuntur, quia singularis verborum numerus ad quatuor Naevoli vota dure referantur, votum praegressum quod singula vota in unum tanquam contulerit, requirere videri, idque votum in sententia praecedenti latere „quando ego pauper ero" et haec verba interrogantis esse. Addit, si sententia interrogantis non fuisset, poetam adiectivum quod est „pauper" more suo, quia cohaerentia sermonis huic adiectivo maiorem vim sic addidisset, primo versus loco positurum fuisse verisimile esse: „pauper quando ego ero."

Verba, quae sunt „votum miserabile" ad quatuor vota dure referri viro docto concedo, ita tamen ut ad eius opinionem, verba „quando pauper ero" interrogantis esse, non accedam. Talis interrogatio non est hominis iam pauperis. Dicat quispiam vocem „pauper" hic eo sensu usurpatam esse, ut significet „ita pauper ut poeta ironice eum intellegere paupertatem dicit"; sed tota satura ita comparata est, ut Naevola demonstretur sibi videri admodum modestus, sit licet impudentissimus. Quam ob rem „pauper" proprio sensu dictum est.

Si Naevolus interrogasset „quando pauper ero" et nova ibi inciperet sententia, fieri non posset quin verba „votum miserabile" et „nec spes his saltem" arcte inter se cohaererent, et utraque sententia pertineret ad illam interrogationem, quod tamen propter pluralem pronominis „his" numerum verum esse non potest.

Haec verba „nec spes his saltem" cum manifesto

respiciant ad „sufficiunt haec" neque divelli inde debeant, nihil restare mihi videtur, nisi ut statuamus, voces „votum miserabile" per parenthesin dictas et referendas esse ad sententiae praecedentis ultima verba „pauper ero", ut sit: haec, quae opto, sufficiunt ad meam paupertatem — votum miserabile. Sic dicere poterat, quoniam illa omnia cupiens optabat paupertatem. Paupertas igitur in votis erat. Itaque sententia est: haec pauca sufficiunt, quandoquidem ego pauper ero (= paupertatem opto) — votum miserabile — nec spes his saltem eqs. Vide quam apte haec sententia causalis cum Naevolae modestia affectata conveniat. „Quando" pro „quandoquidem" dici posse vix est quod moneam. Cf. III 21, V 93, XI 182. Quod Kiaerus dicit „pauper" in initio versus poni debuisse, non credo, neque enim cum singulari vi efferendum est.

Ceterum iam in editione harum saturarum Screvelii nec non Crameri post verba „pauper ero" signum interrogationis positum esse fugisse videtur Kiaerum.

SATURA X.

VS. 45—46.

Niveos ad frena Quirites,
defossa in loculis quos sportula fecit amicos.

Scholtius [1]) pro „defossa" coniecit „deposta" immerito sollicitans vulgarem lectionem, quae multo est significantior.

Facete poeta deridet pauperes clientes, qui nummos defodiunt sive condunt in imo fundo loculorum vacuorum. De constructione „defossa in loculis" conferas Ovid. Fast. II vs. 642: „sive lapis sive es defossus in agro stipes."

VS. 54—55.

Ergo supervacua aut perniciosa petuntur:
propter quae fas est genua incerare deorum.

Hos versus in mendo cubare omnes recentiores interpretes, quod scio, concedunt. Emendare eos multi sunt conati, sanare nemini contigisse mihi videtur, ne Madvigio quidem legenti „incerate."

Poeta demonstrantis non adhortantis partes sibi sumpsit. Incipit narrare homines quae bona, quae mala sint non satis scire vel plane nescire. Id demonstrare conatur. Tota satura fere versatur in iis notandis, quae male ab hominibus optentur; in fine demum ostendit, quid re vera sit petendum; quod priusquam ostenderit, quomodo homines adhortetur ad ea petenda, quae non noverint?

Cum autem vs. 4—5 et bona et mala commemoret, post digressionem ad propositum redeuntem per particulam „ergo" verisimile est eum et mala rursus et bona

---

[1]) l. l. pag. 76.

attingere, ut dicat: ut mala cupiunt, ita nesciunt vel aspernantur quae bona sunt. Cum vs. 55 re vera de bonis agat, versus, opinor, excidit huius fere sententiae: „nesciunt autem vel adeo deprecantur" eqs.

Puto hos versus vel lectu difficiliores fuisse vel negligenter descriptos esse, eaque re factum, ut vs. 54 quoque sit depravatus, qui Doederleinii demum emendatione restitutus est.

VS. 90—92.

Visne salutari sicut Seianus? habere
tantundem atque illi summas donare curules,
illum exercitibus praeponere?

Weidnerus [1]) adnotat: „visne tantundem potentiae habere.... atque potestatem illi (τῷ μὲν) summas donare curules illum (τὸν δὲ) eqs."

Rem simplicem mire turbat. Omnia enim pendent a „visne": visne habere tantundem, visne illi summas donare curules etc.

VS. 142—146.

Patriam tamen obruit olim
gloria paucorum et laudis titulique cupido
haesuri saxis cinerum custodibus, ad quae
discutienda valent sterilis mala robora fici,
quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.

---

[1]) l. l. pag. 226.

Miratur E. G. Weberus [1]) neminem haesisse in ultimo versu, quanquam inane et molestum videatur additamentum. Quid enim summorum virorum fata communionis habere cum fatis sepulcrorum? Attamen his verbis graviter laborantibus auxilium afferre codicem Zwickaviensem pro „istis" habentem „illis." Qua lectione recepta sententiam emicare elegantissimam. Nunc virorum excellentium sepulcra intellegi et poetam hoc voluisse: summorum virorum pariter ac vulgarium sepulcra deleri: idcirco vanam illorum spem esse, qui memoriam sui rerumque gestarum gloriam monumentis servatum iri existiment.

Vir doctus de suo mihi videtur aliquid addidisse. Distinguit enim inter summorum virorum fata et vanam illorum spem qui sqq. Quae tamen eodem redeunt. Illi viri summi iidem sunt ac „illi vana spe decepti? vel potius poeta summos viros vocat homines vana spe deceptos. Nam in tota hac satura hoc agit ut ostendat vana esse et fugienda hominum studia, qui divitias gloriam talia sectentur. Itaque hoc voluit nostro loco: „alios stimulat gloria et laudis cupido, quam perpetuam fore sibi persuadent, nam etsi corpus intereat, sepulcra saxea tamen mansura esse." Quae res falsos eos habet. Sepulcra ipsa sua fata habent, nam res vel levissima ad ea discutienda valet. Sententia ideo generalis esse debet, ut sit idem quod „mundi gloria transit." Hoc ergo summorum virorum fata commune habent cum

[1]) Iuv. Sat. pag. 322 sqq.

fatis sepulcrorum ut secundum poetam aeque ac illa transeant. Luculenter id patet ex eo, quod Hannibalis summi viri fata exempli gratia refert in sequentibus versibus, et exclamat vs. 159: „o gloria! vincitur idem" eqs.

Locus ita explicatus mihi videtur multo esse gravior, multoque magis totius saturae colori respondere et menti poetae stoicorum doctrina imbutae.

Ex iis quae dixi satis me iudice apparet non esse quod versum 146 eicias cum Heinrichio.

VS. 185—187.

Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
fluctibus ac tarda per densa cadavera prora.
has totiens optata exegit gloria poenas.

Ad ea quae Weidnerum [1]) impulerunt ad versum postremum delendum accedit, quod vehementer friget post pulcherrimum versum praecedentem et qui periodum claudat aptissimum. Verumtamen eicere versum non ausim. Nam in hac satura, quam non eodem mentis vigore quo superiores scriptam esse concedendum est Ribbeckio, poeta tales meditationes iteratas versibus interserere amat. Conferendi sunt vs. 55, 166, 172, 243, 306, 323, 349, 363—366.

---

[1]) l. l. pag. 231.

VS. 193—195.

Et tales adspice rugas,
quales, umbriferos ubi pandit Thabraca saltus,
in vetula scalpit iam mater simia bucca.

Vox, quae est „tales", in mendo cubare vel ideo certum est, quod „talis" et „tantus" ante voces quae sunt „qualis" et „quantus" semper a Iuvenale omittuntur (confer Kiaerum [1])). Scholtius [2]) coniecit „turpes" spernens Heinsii coniecturam „aniles" utpote quodammodo languentem, quod idem de voce „turpes" dici potest.

Equidem putaverim substantivum quod est „rugas", *genere* iam definitum per sententiam sequentem, *numero* etiam circumscribendum esse et legendum: „densas." Confer Sat. XIII vs. 215: „densissima ruga cogitur in frontem."

Cum vocabulum sequens (in libris manu scriptis vulgo per „asp" exaratum) per easdem litteras incipiat quibus hoc desinit, fieri potest ut hae litterae „as", semel tantum scriptae, mendum pepererint. Librarius propter sequentem vocem „quales" facile invenit „tales."

VS. 225—226.

Percurram citius, quot villas possideat nunc,
quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.

---

[1]) l. l. pag. 152. not.
[2]) l. l. pag. 79.

Hos versiculos abesse maluerim. Post versus praecedentes, in quibus poeta pristino mentis vigore cruentis quasi verberibus caedit homines impuros et improbos, hi admodum sunt languidi. Insuper vs. 226 ex prima satura repetitus est.

Longa illa enumeratio (220—24) librario ansam dedit hos versus conflandi.

VS. 285—286.

Igitur fortuna ipsius et urbis
servatum victo caput abstulit.

Veteres interpretes fere vocem quae est „fortuna" intellegunt de mala fortuna. Quam interpretationem Heinrichius vituperans verbum accipit de fato variante nunc servante nunc deperdente. Neutram vero sententiam probaverim. Nam fortuna Pompeii adeo erat celebrata, et felicitas populi Romani ab omnibus fere Latinis scriptoribus ita semper aucta et amplificata est, ut verbum et hoc loco vix de alia re possit intellegi quam de bona fortuna. Accedit quod vocabulum „servatum", tam arcte coniunctum cum voce „fortuna", tibi vix de eius sententia dubitationem reliquit.

Hoc accepto vide quam recte omnia procedant: illa Pompeii fortuna, illa populi Romani multum celebrata felicitas eum servavit. Quid? imo caput ei abstulit.

Id multo acerbius dictum esse, multoque magis saturae huius indoli convenire neminem fugiet. Sententiae inest ironia vel potius sarcasmus aptissime re-

spiciens ad ea, quae poeta in initio dixerat: „pauci dinoscere possunt vera bona atque illis multum diversa" eqs. Confer vs. 248: „felix *nimirum* qui tot per saecula mortem distulit."

Commentarii loco est Flor. II 13: „causa tantae calamitatis eadem quae omnium *nimia felicitas.*

SATURA XI.

VS. 19—22.

Sic veniunt ad miscillanea ludi.
refert ergo, quis haec eadem paret: in Rutilo nam
luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
sumit etc.

Heinrichius damnans interpretes, quod non offenderentur versu 21 qui subiecto careret, pro „sumit" coniecit legendum esse „sumptus." Etiam Kiaerus [1], si post „sumit" commate incidatur, subiectum deesse affirmat. Attamen subiectum re vera adest. Non est „miscillanea", ut vult Weidnerus [2] hoc verbum modo hoc modo illo sensu usurpans, sed simpliciter est „haec eadem parare" arcessitum ex praecedentibus. Sensus

---

[1]) l. l. pag. 21.
[2]) l. l. pag. 241 sqq.

est: „splendide vivere in Rutilo luxuria vocatur, in Ventidio laudabile nomen sumit." Itaque locus nullam habet difficultatem.

SATURA XII.

VS. 10—14.

Si res ampla domi similisque affectibus esset,
pinguior Hispulla traheretur taurus et ipsa
mole piger nec finitima nutritus in herba,
laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
iret etc.

Verbum „sanguis" manifesto corruptum est. Quis diceret: sanguis nutritus in herba ostendens pascua it? Insuper subiectum non desideratur: verba haec legens nemo non putabit illa participia esse referenda ad taurum. Itaque taurus ubique subiectum esse videtur. Quomodo hic ostendit „pascua laeta Clitumni"? Colore suo. Notum est candidos tauros in Cl. pascuis nutritos fuisse, quibus saepissime ad sacra facienda uterentur Romani (Verg. Geor. II 146). Colorem illum vi aquae fluminis nasci putabant. Quid mirum, si noster hoc in suum usum converterit, ut fecit vs. 40? Idcirco nullus dubito, quin poeta de albo colore cogitaverit, cum

praesertim, ut iam dixi, diis immolaretur victimis candidis.

Quid autem latet in verbo „sanguis"? Flumen Clitumnus, cuius undae vitreae erant et nive frigidiores, inter alia flumina imprimis tanquam deus colebatur. Prellerus [1]) scripsit flumen appellatum esse divum patrem Clitumnum, et pontem in eo fuisse, qui partem sacram seiungeret a profana, in qua et lavarentur Romani. Puto igitur cum Herwerdeno [2]) legendum esse: „Clitumni pascua sancti." Ipse in eandem coniecturam incideram.

VS. 72—74.

Cui candida nomen
scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen
et nunquam visis triginta clara mamillis.

Prógrammatarius Putbius [3]) postquam dixit vs. 19 maxima laborare obscuritate, rogat, utrum statuendum sit, poetam in dubium vocare voluisse quae fabulantur poetae de scrofa alba, an credendum eum id egisse, ut poetae, quem derideat, imprudentiam denotaret et stultitiam, scribentis „et nunquam visis" cum scribere deberet „et nunquam alias visis."

De tenebris nihil sensi. Poeta memorans scrofam claram fuisse triginta mamillis quas nemo unquam vi-

---

[1]) Prell. Röm. Myth. pag. 519.
[2]) Mnem. Nova series I pag. 407 sqq.
[3]) Progr. N°. 104. Putbus 1877 pag. 19.

disset (sc. quod nunquam illa scrofa exstiterat — ergo non: alias vidisset) re vera lepide significavit se fabulas illas poeticas non magni facere, quod tantum abest ut a Iuvenalis moribus abhorreat, ut permulti exstent loci, in quibus res mythicas derideat vel minus reverenter loquatur de diis. Conf. Sat. II 149, III 267 sqq, V 101, VI 60, 394, XIII 40—52, XIIII 240 sqq.

VS. 89—92.

Hic nostrum placabo Iovem Laribusque paternis
tura dabo atque omnis violae iactabo colores.
cuncta nitent, longos erexit ianua ramos
et matutinis operatur festa lucernis.

Verbum „operatur" admodum incommode hic usurpatum esse mihi videtur. „Ianuam erigere ramos" i. e. erectos tenere, ut supra „simulacra accipere coronas" ferri potest, sed „ianuam sacrificare" prodigiosa est dictio.

Weidnerus [1]) quidem adnotans: „festa ianua operatur i. e. sacris operam dat = sacra et honores indicit" significationem ad hunc locum aptavit non vero probavit.

Grangaeus [2]) vana interpretum conamina „albis dentibus" ridens coniecit „operitur." Sed efficacior, opinor, medela praesto est. Nam desideramus adhuc notionem abundantiae, quae ubique in prioribus inest. Quam tibi praestabit „oneratur." Haec tum habemus: „Laribus

---

[1]) l. l. pag. 258.

[2]) Iuv. Sat. Ed. Henn. pag. 331.

paternis tura dabo atque *omnes* violae *iactabo* colores. *Cuncta* nitent, *longos* erexit ianua ramos, et matutinis *oneratur* festa lucernis.

Cum de sacris faciendis sermo sit, non est mirandum „oneratur" in „operatur" esse depravatum.

SATURA XIII.

VS. 28—30.

Nunc aetas agitur peioraque saecula ferri
temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
nomen et a nullo posuit natura metallo.

Scholtius [1]) suspicatur „nulla aetas" et pro „invenit", quod temere dicit propter sequens „posuit" perfectum esse ideoque vitiosum, „indidit." Attamen „nunc" esse retinendum et ad „aetas" ex sequenti „peioraque" „peior" arcessendum iam docuit Weidnerus [2]). Praesens tempus et perfectum eadem fere praesentis status vel conditionis significatione poni posse extra dubium posuit Kiaerus [3]). Sententia loci est haec: natura non potest invenire nomen ideoque huc usque non posuit = aetas huc usque non habet nomen a metallis petitum.

---

[1]) l. l. pag. 88.
[2]) l. l. pag. 261 sqq.
[3]) l. l. pag. 202.

VS. 150—153.

Haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni, qui bratteolam de Castore ducat:
an dubitet, solitus totum conflare tonantem?

Mayor [1]) vocem „solitus" in mendo cubare putat, quoniam fieri non possit, ut is, qui solitus sit totum conflare tonantem, vocetur „minor sacrilegus." Laudans autem Valesium „stolidus" conicientem sibi non constare mihi videtur, quoniam difficultas, quam loco inesse dicit, hac coniectura non tollitur. Qui enim *non dubitat* totum conflare tonantem, non magis dici potest minor sacrilegus quam qui *solitus est*. Maiorem salutem affert „solitumst", quod ipse legendum proposuit, cuius haec est sententia: an dubitet, cum animadvertat, alios solitos esse totas statuas conflare?

At coniecturis non opus esse videtur. Verba quae sunt „minor sacrilegus" significare furem, qui eadem cupidine sed minore effectu furetur (*ὁ σμικρὸν κλέπτων ἔρωτι μὲν ταὐτῷ δυνάμει δὲ ἐλάττονι κέκλοφεν*) tum ex eo efficitur, quod poeta dixit „sacrilegos exstare minores, *haec* (illa pocula, dona, coronas) *ibi si non sunt*", tum ex tota sententiarum cohaerentia, quae de levioribus delictis cogitare nos non sinit.

---

[1]) l. l. pag. 274.

VS. 178—180.

Sed corpore trunco
invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
at vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Verba „sed — sanguis" poetae tribuenda esse, non Calvino, satis certum est. Nam voces „corpore trunco" consulto in initio sententiae posita sunt, ut animum lectoris foeditate adspectus indignoque spectaculo commoveant, ideoque comparata sunt ad invidiam auctori caedis conflandam. Accedit quod particula „at" usitatissima est in iis sententiis, quae adversario tribuantur. Ut ex multis exemplis pauca afferam: confer Cic. Mil. 6, 15, 13, 35; Hor. Sat. I 1, 51, 80; Liv. VIIII 4, 14. Denique si et prior sententia „sed — sanguis" aeque ac altera „at — ipsa" adversario suo tribuere voluisset, poeta etiam in hac posuisset „sed", quoniam anaphorae admodum favet, praesertim cum oratio, ut hic, est concitatior. (Sat. XV 94).

Cum autem verba „sed — sanguis" poetae tribuamus, adiectivum quod est „minimus" graves movet dubitationes. Herwerdenus [1]) ambigit utrum legendum sit „vilis" an „minius" id est „ruber." Prius eo parum est probabile, quod „sanguis" misericordiam et invidiam debet movere; alterum mihi quidem videtur nihil habere, quo se commendet, nisi litterarum similitudinem. Magis

[1]) Mnemosyne. Nova series 1. pag. 408 sqq.

mihi placet „calidus", quod imprimis ad horrorem incutiendum et misericordiam movendam valet. Sensus loci tum est: „calidus ex corpore trunco fluens sanguis invidiosa dabit solatia." De verbo „calidus" conferendus est Verg. Aen. VIIII 414, 423.

SATURA XIIII.

VS. 82—85.

In saltu venantur aves, hinc praeda cubili
ponitur: inde autem cum se matura levavit
progenies, stimulante fame festinat ad illam,
quam primum praedam rupto gustaverat ovo.

Admodum probabilis est Lachmanni coniectura „haec" scribentis pro „hinc" (vs. 82). Melius illud convenit cum sequentibus verbis „ad illam"; contra vox „hinc" propter „inde" quod sequitur, lectorem transversum agit. Hic simul causam deprendes, qua „haec" depravatum est: librarius nempe propter „inde" mutavit „haec" cuius litterae fuerint lectu difficiliores.

VS. 105—106.

Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
ignava et partem vitae non attigit ullam.

Scholtius [1]) male pro „ullam" posuit „illam" i. e. septimam vitae partem. Si enim „septimam vitae partem non attingere" significet „septimam partem inertiae dare", molesta inde oriatur tautologia; sin vero nostro loco significaret, ut apud Ciceronem Tusc. Disp. I § 93: „partem vitae non vivere vel mortuum esse", poeta scripsisset: „quin partem vitae non attigit illam", ut gradationem exprimeret, quod nunc fecit per „ullam."

Nunc autem versibus climax re vera inest: septimus dies est ignavus ita ut nulla omnino negotia suscipiantur. Duo imprimis loci, quos laudavit Mayor [2]), conferendi sunt: Agatharchides fr. 19 (in Ios. c. Ap. 1. 22) „*ἀργεῖν εἰθισμένοι δι' ἑβδόμης ἡμέρας, καὶ μηδὲ τὰ ὅπλα βαστάξειν ἐν τοῖς εἰρημένοις χρόνοις μήτε γεωργίας ἅπτεσθαι μήτε ἄλλης ἐπιμελεῖσθαι λειτουργίας μηδεμιᾶς, ἀλλ' ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότες τὰς χεῖρας εὔχεσθαι μέχρι τῆς ἑσπέρας.*" Et Ios. c. Ap. 2 „*τὸ μὲν γὰρ σάββατον κατὰ τὴν Ἰουδαίαν διάλεκτον ἀνάπαυσίς ἐστιν ἀπὸ παντὸς ἔργου.*"

Lectioni codicum favet insuper verbi positus in fine versus, quo fit ut praecipuam habeat vim; quod optime quadrat in vocem „ullam", pessime in „illam" sine ulla vi efferendum.

VS. 187—188.

Peregrina ignotaque nobis
ad scelus atque nefas, quaecunque est, purpura ducit.

Weidnerus [3]) haeret in vocibus „ignota" et „quae

---

[1]) l. l. pag. 101.

[2]) l. l. p. 311 sqq.

[3]) l. l. pag. 284.

cunque" quod poeta purpuram optime noverit; sed nonne illa verba optimo iure tribui possunt Marso Hernicoque, qui quondam solebant talia praecepta minoribus dare? Cogitavit poeta fortasse de versibus Vergilii VIIII 614 sqq.

VS. 248—251.

Nota mathematicis genesis tua; sed grave tardas
exspectare colus: morieris stamine nondum
abrupto. iam nunc obstas et vota moraris,
iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.

Infelicissime Scholtius [1]) pro „grave" dedit „cave." Totius loci color id accipere prorsus nos vetat. Si legimus „cave" verba quae praecedunt „nota — tua" sic intellegenda sunt, ut patri ipsi nota sit genesis sua, ut pater in suos inquisierit annos. At vide quam vehementer ita acies sententiae hebetetur! Etenim non pater sed filius, qui paulo ante dicitur trepido magistro i. e. patri non parsurus esse, mathematicos consuluit. Et consuluit de funere patris: confer versus 250—251; Sat. III 42: „funus promittere patris nec volo nec possum; VI 565: „consulit ictericae lento de funere matris"; Ovid. Met. I 148: „filius ante diem patrios inquirit in annos." Sententia est igitur: filius diem novit tuae mortis, sed grave est ei, exspectare tempus fato concessum; itaque morieris filo nondum abrupto.

[1]) l. l. pag. 102.

Vel unum vocabulum „tardas" Scholtium revocare debuit ab hac levissima coniectura, nam plane ex animo filii dictum est impatienter exspectantis.

SATURA XV.

VS. 65—72.

Nec hunc lapidem, qualis et Turnus et Aiax,
vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae, sed quem valeant emittere dextrae
illis dissimiles et nostro tempore natae.
nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero;
terra malos homines nunc educat atque pusillos.
ergo deus quicunque adspexit ridet et odit.
a deverticulo repetatur fabula. postquam etc.

Multa in hac satura insulsa sint licet, ea, quae hic leguntur (imprimis 69—72) ineptis sunt ineptiora. Poeta, postquam monuit Aegyptios rixantes mox incipere lapides torquere, sic pergit: „nec eiusmodi lapides quales Aeneas et Turnus, vel quali Tydides percussit coxam Aeneae." Si non iam novisti quales fuerint, audi nostrum: „sed quem valeant emittere dextrae illis dissimiles" (hoc ignorasti lector!) „et nostro tempore natae!" Gratias agis poetae, qui omnes tuas dubitationes callida arte sua sustulerit, animumque attendis ad alia atrox bellum

canentia; sed frustra: non potest poeta quin te doceat vixisse fortes post Agamemnona semper pauciores, et audies: „nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero." Si putas eum iam iam properaturum ad cetera, quam egregie falleris: „terra malos homines nunc educat atque pusillos." Si bilem nondum tibi movit, iam tace et audi iterum vatem egregium: „ergo deus quicunque adspexit ridet et odit." Miraris unde deus tam subito intervenerit, memento et Cyllenium ex somnis excitasse Aenean, et intellege monachum corpus e somno corripuisse his verbis: „a deverticulo repetatur fabula." Versus 69—72 conflata sunt ab interpolatore versibus 65—68 lectis cupidine abrepto suam eruditionem ostentandi.

SATURA XVI.

VS. 17—22.

Iustissima centurionum
cognitio est igitur de milite, nec mihi derit
ultio, si iustae defertur causa querellae:
tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
vindicta et gravior quam iniuria.

In his versibus enarrandis interpretes in diversas abiisse partes non est quod miremur, quoniam re vera

insunt, quae varios habeant explicatus. Primo enim id quod in initio legimus „iustissima est igitur cognitio de milite" efficit ut ambiguus haereat lector. Alii ironice dictum esse censent, alii non sine ironia elatum, alii omnem dissimulationem abesse putant. Tum vocem quae est „vindicta" sunt qui de poena militi subeunda accipiunt, alii de ultione quam miles ab adversario repetit. Adiectivum denique quod est „curabilis" modo refertur ad „vindicta" modo ad „iniuria"; nunc praedicatum est nunc attributum.

Videamus, nonne de sententia „iustissima — milite", deque significatione vocis „vindicta" aliquid certi proponere possimus, quibus expeditis reliqua facile decurrent.

Lipsius in quinto libro de militia Romana (pag. 341) haec habet: „poenas dicturus praemittit (Polybius) de iis, qui irrogant, et ostendit tribunorum id fuisse. Tria recenset, quae imperii eorum et iuris, quod multam dicunt, quod pignus capiunt, quod verberibus castigant. An et capite puniunt? non hic addit. Supra tamen ubi de vigiliis scribit: „„si nihil tale factum, redit in circitorem culpa, statimque advocato consilio a tribuno caussa cognoscitur, et si damnatus fuerit, fustuarium subit."" Ex quo dixeris etiam capitis caussas tribunum cognovisse, atque adeo in equites Romanos animadvertisse, si hi in culpa. Neque nimis id negaverim, cum lege, si consilium adiunctum, et una cognoscant." Idem in libro secundo (pag. 87): „Ac tu tribunos iam pernosti, si munia breviter addam et ornamenta. Munia sunt ius dicere. Livius (Lib. XXVIII 24. 10): „„tri-

bunos et iura reddere in principiis sinebant et signum ab eis petebant."" Isidorus: „„tribuni vocati quod militibus sive plebibus iura tribuunt."" Complectitur utrosque et militum et plebis." Confer insuper Lib. V pag. 283, 342, 343, 347. Quare igitur poeta, cum sciret tribunos lites diiudicare, locutus est de centurionibus solis, nulla tribunorum mentione facta? Non certe ut augeret auctoritatem iudiciorum militarium. Centuriones porro saepe dicuntur stolidi hircosi; quin etiam a scriptoribus quasi iure quodam suo nominantur, sicubi homo stupidus significandus est. Vide Mayorum Vol. II pag. 404. Eos constat fuisse tribunis inferiores non ordine tantum, verum etiam humanitate et scientia. Tales homines corpore robustos mente imbecillos, insuper, ut fit, ordinis militaris amore occaecatos, cum semper fere in castris versati sint, facile ab aequa rerum existimatione et iusta causae cognitione deduci posse, quis est qui miretur? Poetam id minime mirari ex eo patet, quod eos iudices ridet „bardaicum calceum" et „grandes suras" vocando.

Accedit quod, si omnis dissimulatio abesset, et „iustissima" pro „legitima" positum esset, poeta, ni fallor, aut scripsisset: „iustissima est igitur centurionum cognitio", aut: „iustissima est igitur eorum cognitio de milite", quoniam aliter alterutrum vocabulum abundaret. Nunc autem utrumque ponens non sine aliquo consilio i. e. non sine adumbratione quadam ironiae hoc fecit. Postremo si hoc voluit num aptius potuit?

Facio igitur cum Heinrichio scribente non sine ironia

haec dicta esse, ita tamen ut ad eorum opinionem non accedam, qui dicunt poetam plane contraria intellegi voluisse. Haec enim cum sequentibus non convenirent. Nunc autem ambiguum, quod sententiae inest, quodammodo etiam pertinet ad alteram enuntiationis partem „nec mihi deest ultio", ut intellegatur ultio parva.

Quod attinet ad vocem „vindicta", ex eo, quod manifesto opposita est vocabulo „iniuria", tum inde, quod particula, quae est „tamen" vim infringit prioris sententiae, quae est „nec mihi deerit ultio" ut sensus sit: „ultio quidem mihi contingit, sed omnes manipuli efficiunt ut haec ultio sive vindicta in me ipsum recidat", per se sequitur ut intellegenda sit de poena militi subeunda. Alioqui poeta insuper dixisset: „prior iniuria."

Haec si recte disputata sunt, statim inde efficitur ut vindicta recte dicatur „curabilis", et coniecturae Crameri legentis „plorabilis" vel „durabilis", nec non Scholtii nuper proponentis „miserabilis" vel „mirabilis" iaceant necesse sit. Eandem ob causam improbandum est quod Heinrichius [1]) voluit: „ut vindicta sit gravior quam iniuria curabilis."

Denique utrumque adiectivum „curabilis" et „gravior" praedicative positum esse, ita ut alterum pertineat ad militem, alterum ad civem, nullo modo ausim affirmare. Equidem huic difficultati obviam ire et mederi, ut spero, velim enarratione aliqua ex parte diversa a

---

[1]) l. l. Vol. II pag. 523 sqq.

ceterorum. Verba nempe mihi sic iungenda videntur: „ut vindicta curabilis sit et gravior quam iniuria" = etiam gravior quam iniuria. Ita priora (vindicta curabilis) pertinent, id quod per se sequitur, ad militem accusatum; altera (et gravior quam iniuria) ad alteram partem i. e. ad civem accusatorem iniuria affectum.

Omnibus his in unum coactis haec habemus: iustissima profecto est cognitio centurionum de milite! nec mihi deest ultio (parva sit licet), tota cohors tamen est inimica omnesque manipli efficiunt, ut vindicta illa curabilis (ultio illa parva) mihi perniciosior sit quam gravis iniuria mihi illata.

THESES.

I.

Fallitur scriptor speciminis critici de Sat. XII Iuvenalis hoc dicens: „und auch der kindlich fromme Sinn, welcher aus ihnen spricht, gehört zu den Chatacterzügen unseres Satirikers.''

Beilage zu dem Programm No. 104. Putbus 1877. pag. 9.

II.

Idem programmatarius iure contendit Iuvenalem tempestatis descriptionem, quae in eadem Satura invenitur, ad malorum poetarum imitationem composuisse.

III.

Sportula apud Iuvenalem de pecuniae non de ciborum distributione intellegenda est.

IIII.

Iuven. Sat. III, vs. 303—4:

„Clausis domibus postquam omnis ubique
fixa catenatae siluit compago tabernae."

legatur:

„Clausis domibus postquam omnis ubique
rixa catenatae siluit *compage* tabernae."

V.

Cic. Disp. Tusc. 16. 38:

„Unde animae excitantur obscura umbra, aperto ostio Altae Acheruntis, falso sanguine, mortuorum imagines."

legatur:

„Altae Acheruntis, *also* sanguine etc."

VI.

Cic. de Imp. Gnaei Pomp. Cap. 8 § 21:

„Satis opinor haec esse laudis, atque ita, Quirites, ut hoc vos intellegatis a nullo istorum, qui etc."

legendum est:

„Satis opinor haec esse laudis, atque ita *impertita*, Quirites, ut hoc vos intellegatis etc."

VII.

Liv. XXI 3. 1:

„In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativa militaris, qua extemplo iuvenis Hannibal in praetorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor plebis sequebatur."

commode legi potest:

„In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quem praerogativa militaris crearet, et sententiam comitiorum militarium, qua .... erat, favor plebis sequebatur."

VIII.

Liv. VIIII 5, 4:

„Spoponderunt consules legati quaestores tribuni militum eqs."

legatur:

„Spoponderunt consules legati quaestores tribuni et plebis et militum eqs."

VIIII.

Ovid. Metam. III 675:

„Squamam cutis durata trahebat."

iure Merkelius „squamam" mutavit; nescio an cum eo legendum sit sannam."

X.

Recte Christianus Rösius demonstravit verba Thuc. I 13: Μασσαλίαν οἰκίζοντες esse eicienda.

Neue Jahrbücher. 4es Heft. 1877.

XI.

Soph. Oed. Rex vs. 216—75. Praeter Ribbeckii transpositionem, vs. 246—51 post vs. 272 collocantis, versus 244—45 et 252—54 ponendi sunt post 268.

Insuper vs. 263 delendus est.

XII.

Thuc. II 90: Οἱ δὲ Πελοποννήσιοι ..... ἀναγόμενοι ἅμα ἕῳ ἔπλεον ..... ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν γῆν ἔσω ἐπὶ τοῦ κόλπου κ. τ. λ.

Verba ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν γῆν interpolata sunt.

XIII.

Xen. Anab. II C. 5. 41. Verba δίκαιον γὰρ ἀπόλλυσθαι τοὺς ἐπιορκοῦντας immerito a Cobeto eiecta sunt.

XIIII.

Sproke van de Borchgravinne van Vergi. (Uitgave van Brill 1873). Vs. 122—128:

„Maer siin sin, dat wanicke,
lach soe vaste teere ander stede,
dat hem en roechte, wat hi dede;
hine achte twint, dat verstaet,
datse hem toende goet ghelaet.
sine wetende borchgravinne
hadde al gader sine minne enz.

Men leze reg. 124: wat *si* dede; en 127: sine *wiste die.*

XV.

Borchgravinne van Vergi vs. 287 vlg.:

„Ic ben wel seker, des besiet,
dat de dinc aldus ghesciet;
want mi mien niet en seide
anders dan die waerheide."

Achter aldus (288) is *es*, en achter mien (289) is *wijf* uitgevallen.

Vs. 1057 vlg.:

„Omdat haer van den hondekien
verweet mien die hertoginne."

Lees achter mien: vrouwe.

XVI.

Borchgr. van Vergi vs. 300 vlg.:

„Dat ghi mi selt die waerhede
segghen, die ic u vraghen sal,
entie waerheit lien al; enz.

Lees: entier enz.

XVII.

Borchgr. van Vergi vs. 397 vlg.:

„Alsi dit merken began
de hertoghe, die dit sach an,
ontfermdiis, wat hem te male
dochte, dat hi sien sake wale
niet en der ontecken wel."

Lees *want* in plaats van *wat*.

XVIII.

Motley's voorstelling van de regeering van Karel V in de Nederlanden (the Rise of the Dutch Republic, London 1856, Vol. I pag. 111) is onjuist.

XVIIII.

Curtius en Grote noemen Aspasia *schoon*, doch zonder voldoenden grond.

XX.

De overwinning bij Marathon, door de overlevering geweldig opgesmukt, is waarschijnlijk niets geweest dan een πρόσκρουσμα βραχὺ τοῖς βαρβάροις ἀποβᾶσιν.

Wecklein, Ueber die Tradition der Perserkriege. 1876.

XXI.

Ten onrechte zegt Spencer, Educ. pag. 49: „While the one (language) exercises memory only, the other (science) both memory and understanding."

XXII.

Terecht oordeelt Mill (A System of Logic, New-York 1860 pag. 167): „the first principles of geometry and arithmetic are generalizations from experience."

